4. Postrema sunt polyglotta Londinensia, curante Briamo Waltono, 6 voluminibus in folio, et partim regiis partim subscribentium sumtibus impressa ab a. 1652—1663. Opus minus quidem elegans, quam Parisiense, at melius dispositum, et in textu accuratius, quem nova etiam accessione versionis aethiopicae et persicae item apparatu critico, locupletavit.

§. 42.

De citatis patrum.

Patres apostolici pleni spiritu religionis, minus tribuerunt literae, quam traditioni. Hinc satis habebant e plenitudine cordis promere verbum Dei, generali addita formula: scriptum est, vel sic dicit Dominus. Ab eorum igitur citatis ad textus verba conclusio raro potest fieri; passim enim de memoria citabant parum solliciti de praecisione verborum. Multiplicatis postea exemplaribus, cum s. scripturae lectio apud plurimos quotidiana esset: etiam usus literarius scripturae frequentior, et accuratior evasit. At consvetudo de memoria citandi, praesertim intra homilias, permansit; quod maxime elucet ex eo, quod eadem sententia saepe variis verbis citetur; unde non mox putandum, codices eorum aliter legisse, si a textu nostro discrepant. Tanto minus periculi videbatur habere talis liber bibliorum usus, quod apostolos in suis libris idem fecisse cum v. f. observaverint, qui scilicet aeque liberas citationes, jam e versione 70, jam ex fonte factas usurpaverint, interdum ita, ut etiam varia loca conjungerent in unum, et sub uno auctore citarent.

At dum commentatores agunt perpetuos, negari nequit libros eis praesto fuisse, et juxta illos citari textum. In hoc casu utique testes agunt tam argumenti, quam lectionum, et supplent codices, quibus usi sunt. Cum autem sint primorum saeculorum testes, patet eorum citata anti-

quissimorum codicum, qui supersunt, testimoniis aequivalere, vel etiam praeferenda esse, nisi alio sub respectu cedere debeant. In patribus latinis videndum, an latinos codices adhibeant, vel textum graecum ipsi interpretentur. Si illud: testes sunt pro lectionibus interpretationis latinae; si hoc: in censu testium criticorum tantum quoad auctoritatem canonicam illius versus vel pericopae, non autem quoad verba haberi possunt, nisi pateat, eos graeca verba exacte reddere.

Fit aliquando, ut patres suis verbis inserant verba scripturae, quin provocationem ad biblia faciant. Si jam ex pluribus locis manifestum sit: reipsa librorum argumentum adhiberi: erunt quidem testes authentiae: at pro integritate critica nonnisi eatenus faciunt, quatenus probari potest, scripturam ab iis fidelissime recitari.

Obs. A memoria patrum divelli non possum, quin fructum, quem illi e scripturae studio collegerant, attingam. Nos in plurima distracti, eventilamus apices, dubiorum fluctibus pulsamur et ex ultimis Asiae vel Africae latibulis producimus lingvarum aut codicum sarmenta, ut verbum Dei intelligamus: patres fidem ad studium adhibendo — verbaque simpliciter accipiendo, mirum faciunt laboris compendium, et optimam partem acquirunt. Nos forte circuimus mare et aridam, ut opinionis proselytos lucremur: illi meditando et orando inveniunt sensum, cujus usu tam se quam alios reddunt beatos! Sed ut bibliorum amantes mox videant, quomodo patres uti soleant sacra eruditione, non abs re fuerit, quaedam excerpta producere, quae simul nostras observationes de patrum citatis illustrabunt. En fragmentum e familiari epistola s. Hieronymi ad Ruffinum: (3-a t. 1.) „Bonosus tuus, imo meus, et ut verius dicam, noster, scalam praesagatam, Jacob somniante, jam scandit, portat crucem suam, nec de crastino cogitat, nec post tergum respicit. Seminat in lachrymis, ut in gaudio metat... Ecce puer honestis saeculi nobiscum artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprime

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 155 von 294

inter aequales erat, contemta matre, sororibus, et carissimo sibi germano insulam pelago circumsonante naufragam . . . quasi quidam novus paradisi colonus insedit. Nullus ibi agricolarum, nullus monachorum . . . in tanta vastitate adhaeret lateri comes . . . Propone tibi ante oculos, amice dulcissime, et in praesentiam rei totus animo ac mente convertere. Tunc poteris laudare victoriam, quum laborem praeliantis agnoveris. Totam circa insulam fremit insanum mare, et sinuosis montium illisum scopulis aequor reclamat. Nullo terra gramine viret, nullis vernans campus densatur umbraculis. Abruptae rupes, quasi quemdam horrore carcerem claudunt. Ille securus, intrepidus, et totus de apostolo armatus, nunc Deum audit, dum divina relegit: nunc cum Deo loquitur, quum Dominum rogat . . .

„Quas nunc diabolum nectere credis tricas? quas parare arbitraris insidias? . . . Gratia tibi Domine Jesu, quod in die tua habeo, qui pro me te possit rogare. Scis ipse, (tibi enim patent pectora singulorum, qui cordis arcana rimaris . . .) ut ego et ille pariter a tenera infantia ad florentem usque adoleverimus aetatem, ut iidem nos nutricum sinus, iidem amplexus foverint bajulorum: et quum post Romana studia ad Rheni semibarbaras ripas, eodem cibo, pari frueremur hospitio: ut ego primus ceperim velle te colere. Memento quaeso hunc bellatorem tuum mecum quondam fuisse tyronem. Habeo promissum majestatis tuae. Qui docuerit, et non fecerit, minimus vocabitur in regno coelorum. Multae sunt mansiones apud Patrem. Et stella ab stella differt in claritate. Mihi concede, ut inter sanctorum calcanea caput possim levare, ut quum ego voluerim, ille perfecerit: mihi ignoscas, qui implere non potui: illi tribuas praemium, quod meretur.“

Aliud ex epistola ejusdem ad Paulinum: (58. t. 1.)

„Bonus homo de bono cordis thesauro profert ea, quae bona sunt, et ex fructibus arbor cognoscitur. Metiris nos virtutibus tuis, et parvos magnus extollis, ultimamque partem

convivii occupas, ut patrisfamilias judicio proveharis. Quid enim in nobis, aut quantulum est, ut doctae vocis mereamur praeconium? . . . Noli igitur, frater carissime, annorum nos aestimare numero; nec sapientiam canos reputes, sed canos sapientiam . . . Magnum habes ingenium, et infinitam sermonis supellectilem. Et facile loqueris, et pure; facilitasque ipsa et puritas, mixta prudentiae est. Capite quippe sano, omnes sensus vigent. Huic prudentiae et eloquentiae si accederet vel studium vel intelligentia scripturarum: viderem te brevi arcem tenere nostrorum . . . Accingere, quaeso te, accingere. Nihil sine magno labore vita dedit mortalibus. Praepara tibi divitias quas quotidie eroges, et nunquam deficiant, dum viget aetas, dum nondum canis spargitur caput, antequam subeant morbi tristisque senectus, et labor et dirae rapiat inclementia mortis. Nihil in te mediocre esse contentus sum: totum summum, totum perfectum desidero."

Fragmentum epistolae s. Bernardi ad papam Eugenium III. ex abbate s. Anastasii ord. Cisterciensis recens ad pontificatum assumtum.

„Auditum est in terra nostra, et celebri sermone vulgatum verbum hoc, quod factum est de vobis a Domino. Presseram stilum hactenus, rem tacitus considerabam. Exspectabam enim litteras vestras, et praeveniri a vobis in benedictionibus dulcedinis. Exspectabam virum fidelem, qui veniret a latere tuo, qui diceret cuncta per ordinem, quid, quomodo, vel qualiter actum esset. Exspectabam si quis forte de filiis meis reverteretur, qui leniret dolorem patris, qui diceret: Joseph filius tuus vivit; et ipse dominatur in tota terra Aegypti. Hinc est, quod litterae istae non sunt voluntatis, sed necessitatis, et amicorum extortae precibus, quibus negare non possum modicum illud quicquid residuum est vitae meae. Quia tamen semel coepi, loquar ad dominum meum. Jam enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater mutatus est in filium. Qui post me venit, ante me factus est: sed non invideo,

quia quod mihi deerat, in eo me habere confido, qui non solum post me, sed etiam per me venit. Nam si dignaris, quodammodo per Evangelium ego te genui. Quae est ergo spes nostra, et gaudium nostrum, et corona gloriae? nonne vos ante Deum? Denique filius sapiens gloria est patris. Amodo tamen non vocaberis filius, sed vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Haec est mutatio dexterae Excelsi, et multi in mutatione ista gaudebunt. Nam quemadmodum olim Abram in Abraham, Jacob in Israël et ut de tuis magis praedecessoribus tibi proponam, sicut Simon in Cepham, Saulus in Paulum: sic filius meus Bernardus in patrem meum Eugenium, laeta prorsus et utili, ut speramus, translatione promotus est. Digitus Dei est ille suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriae teneat.

„Superest ut facta hac mutatione tui, ipsa quoque, quae tibi commissa est, Domini tui sponsa mutetur in melius, et jam nequaquam Sarai, sed Sara de cetero nominetur, intellige quae dico: dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, sed prinpem: nil tuum in ea vindicans, nisi quod pro ea, si oportuerit, etiam animam dare debes. Si Christus te misit, aestimabis te non ministrari, sed ministrare venisse: et ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoque animam, sicut praefatus sum. Verus successor Pauli dicet cum Paulo: Non quia dominamur fidei vestrae, sed adjutores sumus gaudii vestri. Petri heres audiet Petrum dicentem: Neque ut dominantes in clerum sed forma facti gregis. Sic enim jam non ancilla, sed libera etiam et formosa speciosissimi sponsi per te in desideratos adsciscetur amplexus. Alioquin per quem alium haec tam debita libertas sperabitur, si et tu (quod absit) in Christi hereditate quaeras quae tua sunt, qui jam et ante didiceras, non retinere, sed nec tuus esse?

„Et quidem elegeras abjectus esse in domo Dei tui, et recumbere in novissimo loco in convivio ejus; sed placuit di-

cere ei qui te invitavit: Amice ascende superius. Itaque ascendisti in altum; noli altum sapere, sed time, ne forte contingat sero miserabilem illam emittere vocem: A facie irae et indignationis tuae, elevans allisisti me. Altiorem quippe locum sortitus es, sed non tutiorem; sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Locus, inquam, in quo stas, terra sancta est; locus Petri est, locus principis apostolorum, ubi steterunt pedes ejus. Locus illius est, quem constituit Dominus dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae. Si forte declinaveris a via Domini; sepultus est in eodem loco, ut sit tibi contra te in testimonium.

„Confortare igitur et esto robustus. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem, et timor ejus qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti. Ipsi te praedecessores tuae certissimae et citissimae decessionis admoneant, et modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus transeuntis gloriae blandimenta, memorare novissima tua: quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.“

Articulus III.

De textu variante, eoque critice constituendo.

§. 43.

Artis criticae notio et indoles.

Omnis enunciatio, sive una, sive pluribus vocibus comprehensa, quae partem orationis efficit, lectio vocatur. Si jam ejusdem orationis diversa exempla in enunciationibus differant: exoritur varietas lectionum, quam dijudicare, atque probatissimum textum juxta certas regulas constituere, artis criticae propositum est. Cum nempe ab auctore

nonnisi unica lectio profecta sit: ipsum veritatis studium suapte inpellit tractatores bibliorum, ut veram auctoris lectionem eruere adnitantur, quandoquidem, dicente s. Hieronymo verum non esse (in omni forma), quod variat, etiam maledicorum testimonio comprobatur. *) Sunt quidem varietates istae praeter paucissimas, exigui momenti, a quibus religionis integritas neutiquam pendet: at pius certe labor est, verbum Dei etiam in minutiis conservare, vel in integrum restituere velle, dummodo praesto sint media, et recte adhibeantur. Facile patet, quaestionem istam: qualem sc. vocem aut sententiam auctor scripserit, postulare factum historicum: itaque via historica, ope testium, resolvatur, oportet. In censum autem testium veniunt codices, versiones, acta conciliorum, citata patrum, editiones principes, antiquissima monumenta liturgica, inscriptiones et si quae praeterea sunt documenta textus biblici. Ceterum testimonii rationem habet ipsa enunciatio auctoris, quae scilicet per contextum logicum aliasque leges loquendi testatur de mente auctoris, sicque genuinam lectionem magis minusve indicat. Istud testimonium ipsius auctoris peti dicitur e notis internis, et vocatur argumentum internum; reliqua sunt argumenta externa. Itaque ars critica est dexteritas ope argumentorum internorum et externorum lectionum bonitatem examinandi et restituendi.

§. 44.

Primae recensiones et novum incrementum varietatum.

Varietates textus non veremur dicere tam antiquas quam matura sunt apographa, eo cum discrimine, quod aetate apostolica quum facilitas tum diligentia major fuerit, textum ab eroribus immunem describendi. Deinceps autem

*) Praef. in evang.

quo longius rivuli recesserunt a fonte, eo pluribus passim heterogeneis particulis permiscebantur, quanquam non aequali modo; nam qui cautius in scribendo vigilassent et ex integris exemplaribus copias parassent, etiam antiquiores librarios poterant superare. Paulatim tamen differentiae codicum ita increverunt, ut jam saeculo 3-o viri quipiam emendationem haud ultro differendam censerent, eamque perficere tentarent; postquam in versione 70 Origenes exemplo praeivisset. Nominatim id fecisse Hesychium episcopum in Aegypto, et Lucianum presbyterum Antiochiae, tam e testimonio s. Hieronymi quam decreto Gelasii 1-i papae constat. Minus certa res est quoad novum testamentum de Origene, quamvis Hieronymus de codicibus Adamantii loquatur; intelligens forte melioris notae codices ab Origene Caesareae depositos, et ad emendationem aliorum, si quae susciperetur, idoneos. Sed et illud obscurum, qua ratione et quo successu illi duumviri laboraverint. Ad paucos utique codices recensio eorum potuit extendi, non ideo tantum, quod copiam multorum ipsi non haberent: sed etiam quod non ea publica gauderent auctoritate, quae sequentibus amanuensibus normam agendi praescripsisset. In hac autem privata sphaera, alii pari libertate recensionem eorum negligebant, suasque correctiones, vel priores lectiones praeferebant, qua ipsi recensentes usi sunt. Ipse s. Hieronymus in emendatione vulgatae non Luciani vel Hesychii codices adhibuit, sed veteres, clarisque verbis illorum molimina reprobat. Accessit reprobatio sedis apostolicae, quae utriusque recensionis auctoritatem evertit. Neque ex historia codicum, qui supersunt, patet, in quantum praesens forma textus e saeculo tertio sit repetenda. Dantur utique satis multi codices, qui spectata lectionum variantium indole nec ad Aegyptiacam Hesychii, nec ad Antiochenam Luciani recensionem seu familiam pertinent, sed textum exhibent prorsus peculiarem: imo et ejusdem familiae codices inter se multum differunt, prout differunt ab antiquis versioni-

bus, in specie latina et syriaca. Jamque saeculo 4-o iterum conqueruntur patres de codicum varietate, quae sequentibus etiam saeculis pro diversitate regionum ad quas religio christiana propagata est, et pro crescente numero exemplarium magis magisque invaluit, ut mirum non sit, hodie jam grandem numerum lectionum variantium esse collectum.

Initium hujusmodi collectioni datum est saeculo 16-o per editores textus biblici, in specie Robertus Stephanus editionem suam anni 1550-i locupletavit „iis praefixis, insertisve, aut in calce positis, quae usquam in scriptis, aut excusis leguntur exemplaribus.“ Eundem apparatum auxit Theodorus Beza, postquam codices Cantabrigiensem et Claromontanum praeter alios, item versionem syriacam Peschito et arabicam contulisset, quem apparatum deinde ad recensendum textum suae secundae editionis de a. 1582-o adhibuit. Hunc textum per Elzevirorum industriam evasisse r e c e p t u m jam memoravimus. Ipsum vulgavit anno 1658 Stephanus Curcellaeus in editione nova, „in qua, ut titulus fert, diligentius, quam unquam antea, variantes lectiones tam e manuscriptis, quam impressis codicibus collectae sunt.“ At majori jure hoc dicere potuit Briamus Waltonus, qui tam codicis A, quam aliorum 16 nondum antea collatorum lectiones variantes in suis polyglottis priori apparatui adjecit. Simili modo progressus est Joannes Fell postea episcopus Oxoniensis, augendo apparatum variantium tam e codicibus novis quam versione gothica et sahidica. Omnes autem antecessores post se reliquit in hoc stadio Joannes Millius, qui editioni suae anni 1707 praeter docta prolegomena jam tres myriades lectionum variantium inseruit, qui numerus hodie in duplum est auctus.

§. 45.

Exempla a) graviorum, b) promiscuarum lectionum variantium.

Ut sacrarum literarum candidati etiam ex indole lectionum variantium biblia recte valeant aestimare: Introductionis est, complura variationum exempla oculis eorundem subjicere, ut sic judicium de reliquarum myriadibus complanetur, et infundatae sollicitudinis aculeus animis eximatur. Et primo quidem juvat graviores varietates per totum novum foedus dispersas adferre, seu tales, quae significatione simul et testium auctoritate spectata in suo genere nonnihil ponderant; tum vero e re fuerit certarum partium scripturae cunctas absque discrimine proferre differentias, a criticis hactenus collectas, e quibus ipsa artis criticae micrologia luculenta fiat.

Sunt igitur celebriores variantes, ut sequitnr:

	Alii
Matth. 5, 22. *πας ὁ οργιζομενος τω αδελφω αυτου εικη.*	*εικη* omitt. cum vulgata.
„ 6, 13. *οτι σου εστιν η βασιλεια, και δυναμις, και η δοξα, εις τους αιωνας αμην.*	omitt. tot. cum vulg.
„ 23, 14. (al. 13.) *ουαι υμιν, γραμματεις και φαρισαιοι υποκριται, οτι κατεσθιετε τας οικιας των χηρων, και προφασει μακρα προσευχομενοι· δια τουτο ληψεσθε περισσοτερον κριμα.*	omitt. totum. Vulgata habet.
„ 27, 9. *τοτε επληρωθη το ρηθεν δια Ιερεμιου*	pro *Ιερεμιου* al. *Ζαχαριου*, al. nomen omitt.

		Alii
Matth. 27, 35.	*ινα πληρωθη το ρηθεν υπο του προφητου, διεμερισαντο τα ιματια μου εαυτοις, και επι τον ιματισμον μου εβαλον κληρον.*	omitt. totum. Vulgata habet.
Marc. 8, 26.	*μηδε εις την κωμην εισελθης, μηδε ειπης τινι εν τη κωμη*	*μηδε εις την κωμην εισελθης* rel. omitt. vel: *υπαγε εις τον οικον σου, και εαν εις την κωμην εισελθης, μηδενι ειπης*, cum vulg. alii his addunt: *μηδε εν τη κωμη.*
„ 9, 44.	*οπου ὁ σκωληξ αυτων ου τελευτα, και το πυρ ου σβεννυται.*	omitt. tot. Vulgata habet v. 43.
„ 16. 9—20.		totam pericopam omitt. Non vulgata. Qui habent, in vocib. et ordine variant.
Luc. 10, 1.	*εβδομηκοντα*	*εβδομηκοντα δυο* ut vulg.
„ 22, 43. 44.		omitt. totum, non vulg.
„ 24, 13.	*ὁ δε Πετρος αναστας εδραμεν επι το μνημειον, και παρακυψας βλεπει τα οθονια κειμενα μονα· και απηλθε προς εαυτον θαυμαζων το γεγονος.*	
„ 24, 36.	*και λεγει αυτοις· ειρηνη υμιν, εγω ειμι, μη φοβεισθε.*	omitt. tot. Vulg. habet.
Joann. 1, 3.	*εγενετο ουδε ἑν ὁ γεγονεν. Εν αυτω ζωη ην.*	omitt. tot. vel ab *εγω—φοβεισθε.* Vulgata habet totum.
„ 1, 28.	*Βηθανια*	*εγενετο ουδε ἑν. Ὁ γεγονεν εν αυτω ζωη ην.*
„ 5, 3.	*εκδεχομενων την του υδατος κινησιν*	*Βηθαβαρα*
„ 5, 4.	*αγγελος γαρ κυριου κατα καιρον*	omitt. Vulgata habet.

κατεβαινεν εν τη κολυμβηθρα, και εταρασσε το υδωρ· ὁ ουν πρωτος εμβας μετα την ταραχην του υδατος, ὑγιης εγενετο, ᾧ δηποτε κατειχετο νοσηματι.	Alii
Joann. 7, 53—8, 11.	omitt. totum. Non vulgata.
„ 8, 25. ο τι	omittunt totam pericopam, vel in textu et loco ejusdem variant.
„ 9, 27. ηκουσατε	οτι
„ 10, 29. ος et μειζων	ουκ ηκουσατε
„ 19, 14. εκτη	ὅ et μειζον
„ 21, 25.	τριτη
	omitt. tot. In vulg. est.
Act. 8, 37. ειπε δε ο Φιλιππος, ει πιστευεις εξ ολης της καρδιας, εξεστιν. αποκριθεις δε ειπε· πιστευω τον υιον του Θεου ειναι τον Ιησουν Χριστον.	
„ 9, 5. 6. σκληρον σοι προς κεντρα λακτιζειν· τρεμων τε και θαμβων ειπε, κυριε τί με θελεις ποιησαι; και ὁ κυριος προς αυτον.	omitt. tot. In vulg. est.
„ 15, 34. εδοξε δε τω Σιλα επιμειναι αυτου (v. αυτοθι) μονος δε Ιουδας επορευθη εις Ιερουσαλημ	omitt. tot. Non vulg.
„ 20, 28. εκκλησιαν του Θεου	omitt. tot. vel a μονος - Ιερουσαλημ. Vulg. habet tot.
Rom. 16, 25—27.	εκκλησιαν του κυριου
	omitt. tot. vel post 14, 23 ponunt. Vulgata hic habet totam pericop.
I. Cor. 15, 5. δωδεκα	ἑνδεκα
„ „ 15, 51. παντες μεν ου κοιμηθησομεθα, παν-	

	Alii
τες δε αλλαγησομεθα	παντες μεν αναστησομεθα, ου παντες δε αλλαγησομεθα, cum vulg.
II. Cor. 5, 10. τα ιδια του σωματος	τα δια σωματος
„ „ 12, 9. η γαρ δυναμις εν ασθενεια τελειται	η γαρ δυναμις μου εν ασθενεια τελειται
Gal. 4, 25. το γαρ Αγαρ Σινα ορος εστιν εν τη Αραβια	το γαρ Σινα ορος εστιν εν τη Αραβια
I. Tim. 3, 16. ος εφανερωθη	Θεος εφανερωθη, vel ὅ εφανερωθη
I. Joann. 5, 7. οτι τρεις εισιν οι μαρτυρουντες εν τω ουρανω, ὁ Πατηρ, και ὁ Λογος, και το αγιον Πνευμα, και οι τρεις εις το ἓν εισι	omitt. tot. vel textus variat. Vulg. habet.
Apocal. 22, 14. ποιουντες τας εντολας αυτου	πλυνοντες τας στολας αυτων.

Haec per exemplum. Plura cumulare non lubet; nam majus his momentum quoad argumentum scripturae nec alia habent. Imo ipsa haec allata specimina reduci possunt ad 4 vel 5 graviora, quorum textus si non esset authenticus, nostro judicio traditam scripturae integritatem redderet dubiam; sc. Marci 16, 9—20. Luc. 22, 43. 44. Joann. 5, 4 et 7, 53—8, 1—11. et ut videtur I. Joann. 5, 7.

In his quippe si postremum demas vel promissiones Christi, vel facta narrantur, quae cum in reliqua scriptura non occurrant, partem scripti verbi Dei speciali ratione constituunt. Hos locos vindicare munus est Introductionis specialis. At in reliquis religionis argumentum nequidquam laborat: licet fateamur, omissiones majorum commatum

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA

in illis quoque, ob decretum Tridentinum de vulgata latum, graviores videri, quam interpolationes.

In specie e dogmaticis varietatibus, qualis etiam est dicta I. Joann. 5, 7. nulla datur, quae vel sanum sensum non admitteret, vel saltem doctrinam alibi quoque expressam non contineret, ut adeo, licet incertum ponas, quid auctor in loco controverso scripserit, toti tamen Christi doctrinae nihil plane decedat. Aeque facile expediuntur variantes textus, ubi nomina locorum, vel numeri variant, v. g. Matth. 8, 28. et Luc. 8, 26. Joann. 1, 28. Luc. 10, 1. et 1. Cor. 15, 5. Omnis reliqua legio lectionum variantium quam sit innocua, probet instar exempli sequens elenchus duorum capitum, scilicet Matth. 2. et I. ad Cor. 3. e quibus universas lectiones variantes, quae in editione Scholzii (1830. 1836.) et Tischendorfii (1849) notatae sunt, producimus, testium citatione omissa.

Evang. s. Matth. c. 2.	Ep. s. Pauli I. ad Cor. c. 3.
1. *Ιησου, Ιησου Χριστου*	1. *καγω, και εγω*
δε, omitt.	*εδυνηθην, ηδυνηθην*
της Ιουδαιας, vulg. Juda, al. Judae.	*λαλησαι υμιν, υμιν λαλησαι*
ἐν ημεραις Ηρωδου του βασιλεως, al. omitt. tot.	*σαρκινοις, σαρκικοις*
Ιεροσολυμα, Ιερουσαλημ	*νηπιοις, νηπιους*
	ως νηπιοις εν χριστω. Γαλα υμας εποτισα, alii conjungunt: *ὡς νηπιους εν χριστω γαλα υμας εποτισα*,
2. *αυτω, αυτον*	2. *ου βρωμα, και ου βρωμα*
	εδυνασθε, ηδυνασθε
	ουδε, ουτε
	ετι, omitt.
	αλλ ουτε ετι νυν δυνασθε, omitt.
3. *Ηρωδης ὁ βασιλευς, ὁ βασιλευς Ηρωδης*	3. *σαρκικοι, σαρκινοι*
παρα, omitt.	*εστε σαρκικοι, σαρκικοι εστε.*
Ιεροσολυμα, η Ιεροσολυμα	*ερις, ερεις* (latini pro *ζηλος και ερις* aemulationes et contentiones)

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 167 von 294

Matth. c. 2.	I. Cor. c. 3.
	3. ζηλος και ερις και διχοστασιαι, ζηλος και ερις, ερις και ζηλος και ερις, omitt. ουχι, ου
4. παρ᾽ αυτων, omitt.	4. λεγη τις, λεγει τις, τις λεγη ετερος δε εγω, εγω δε, εγω, omitt. ουχι, ουκ σαρκικοι, ανθρωποι
5. ειπον, ειπαν της Ιουδαιας, Juda s. Judae vulg. γαρ, omitt. δια του προφητου, add. Μιχαιου λεγοντος	5. τις, τι Απολλως, Απολλω τις ουν Παυλος, τις δε Απολλως, alii τις ουν εστι Απολλως, τις δε εστιν Παυλος εστιν, loco sec. omitt. δε και Απολλως, δε Απολλως αλλ η, omitt. δι ων, eius, cui, vulg. και, omitt. ως, omitt. κυριος, θεος, Χριστος.
6. ουδαμως, μη, non, numquid? nequaquam γαρ, γαρ μοι	6. αλλα, αλλ αλλ ὁ, ὁ δε
7. ηκριβωσε, ηκριβωσεν, ηκρειβασεν	7. ουτε, omitt. τι, repet. εστί τι, ἑστι τὶ αλλα, αλλ
8. εἰς Βηθλεεμ ειπε, ειπε εἰς Βηθλεεμ εξετασατε ακριβως, ακριβως εξετασατε. επαν, οταν απαγγειλατε, αναγγειλατε αυτῳ, αυτον	8. εκαστος δε, εκαστος γαρ, εκαστος κοπον, σκοπον, τοπον.

Matth. c. 2.	I. Cor. c. 3.
9. ὁ omitt. ειδον, ιδον εως, εως ου εστη, εσταθη επανω, omitt. ου ην το παιδιον, του παιδιου	9. γεωργιον, γεωργια, γεωργια εστε
10. ιδοντες δε, οἱ δε ιδοντες	10. του θεου, omitt. τεθεικα, εθηκα, κατατεθεικα δε omitt. εποικοδομει, οικοδομει εκαστος δε βλεπετω, πως εποικοδομει, omitt.
11. ειδον, ιδον, ευρον, ιδοντες το παιδιον, τον παιδα ανοιξαντες, ηνοιξαν	11. θειναι, καταθειναι κειμενον, κατακειμενον Ιησους Χριστος, Χριστος Ιησους, Ιησους ὁ Χριστος Ιησους, omitt.
12. χωραν αυτων, εαυτων χωραν	12. εποικοδομει, οικοδομει θεμελιον, λιθον τουτον, omitt. χρυσον, αργυρον, χρυσιον και αργυριον ξυλα, omitt.
13. αυτων, των μαγων, εις την χωραν αυτων κατ' οναρ φαινεται, φαινεται κατ' οναρ φαινεται, εφανη αν ειπω σοι, σοι ειπω	13. εκαστου το εργον φανερον γενησεται, alii ὁ ποιησας τουτο το εργον, φανερος γενηται. εκαστου το εργον φανερον γενησεται, ἡ γαρ ημερα δηλωσει, οτι εν πυρι αποκαλυπτεται. εκαστου το εργον, εργον εκαστον ημερα, ημερα κυριου οτι, οτε

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA

Matth. c. 2.	I. Cor. c. 3.
	13. ἀποκαλυπτεται, δοκιμαζεται, ἀποκαλυφθησεται και, omitt. εστι, ην αυτο, omitt.
14. εγερθεις, διεγερθεις	14. ει, και ει ει τινος, ου μενεῖ, μένει, μενῃ, μεινῃ επωκοδομησε, εποικοδομησε, ωκοδομησε, εποικοδομησεν.
15. υπο κυριου, υπο του κυριου	15. δε, omitt. ουτω, ουτως, ουτος
16. παντα τα παιδια τα, παντας τους παιδας τους παιδας τους omitt. ον omitt.	16. οικει εν υμιν, εν υμιν οικει
17. υπο, δια, υπο του κυριου δια Ιερεμιου του προφητου omitt.	17. φθερει, φθειρει τουτον, αυτον γαρ, omitt.
18. Φωνη, φωνη ερρεμα Ραμα, Ραμμα θρηνος και omitt. κλαυθμος, θρηνος και κλαυθμος, και ὀδυρμος omitt. ηθελε, ηθελεσεν, ηθελησεν	18. εαυτον, omitt. εξαπατατω, εξαπατατω κενοις λογοις εν τῳ αιωνι τουτῳ, μωρος γενεσθω alii conjungunt
19. Ηρωδου, Ηρωδου του βασιλεως κατ οναρ φαινεται, φαινεται κατ οναρ	19. τουτου, omitt. τω θεω, omitt. γαρ, omitt. ὁ δρασσομενος τους σοφους, δρασσομενος σοφους. τη πανουργια, ταις πανουργιαις αυτων, αυτου
20. Nulla varietas.	20. και παλιν omitt. των σοφων, ανθρωπων

Matth. c. 2.	I. Cor. c. 3.
21. *ηλθεν*, *εισηλθεν*	21. *μηδεις καυχασθω*, *μη δει καυχασθαι*
	ανθρωποις, *ανθρωπῳ*, *ανθροπινοις*
22. *επι*, omitt.	22. *υμων*, *ημων*
Ηρωδου του πατρος αυτου, *του πατρος αυτου Ηρωδου*	*εστιν*, omitt.
εκει, *εκεισε*	*Απολλως*, *Απολλω*
	υμων, *ημων*, *δι υμων*
	εστιν, omitt.
23. *λεγομενην*, omitt.	23. *υμεις*, *ημεις*
Ναζαρετ, *Ναζαρεθ*	
δια, *υπο*	
των προφητων, *του προφητου*	
filius meus add. Aeth.	

Not. Collatio duorum integrorum codicum, infra exhibenda, lectionum variantium indolem plenius etiam repraesentat. Cf. Append.

§. 46.

Causae lectionum variantium.

Recessus ab originali textu variis modis contigerunt. Erant nempe vel voluntarii, vel involuntarii. In priori casu textus deliberate mutatus est a scriba vel lectore, sive bona sive mala fide. Illud evenit, dum sincera mente lectioni, quae minus recta videbatur, substituebatur nova; ut fecit Origenes, qui sua experientia nixus, quod Bethaniam trans Jordanem non invenerit, Joann. 1, 28. nomen Bethania, mutavit in Bethabara, quod postea multi codices receperunt. Alias autem, quod locus non faveret sectae placitis, data opera ab haereticis corruptus fuit, ut

perhibet de Marcione Tertullianus. Eruditi maxime proni erant ad suscipiendas mutationes, vel supplendas lacunas, unde critici monent cavendum esse, quidquid ab homine docto, textum sui temporis recognoscente, profectum videatur. Exemplum recentiori tempore dedit Erasmus, qui hiatus codicis graeci in Apocalypsi proprio ingenio supplevit. Involuntariae mutationes adscribendae sunt partim oscitantiae, partim lapsui memoriae, oculorum, auditus, judicii etc. Oscitantiae e. g. debentur omissiones vel permutationes quarundam literarum, v. g. Matth. 12, 1. et alibi *σάβασι* loco *σάββασι*, interdum *καπερναούμ*, alias *καφαρναούμ*, *λεγιών* vel *λεγεών*. Joann. 10, 29. *ὅς* et *μείζων* vel *ὅ* et *μεῖζον*, Ephes. 4, 19. *ἀπηλγηκότες* vel *ἀπηλπικότες* etc. Sed praeter literas etiam integrae voces omitti vel permutari consveverunt per minus accuratos librarios. Hinc forte repetenda seu additio seu omissio voculae *οὐκ* Joann. 9, 27. numeri *δύο* Luc. 10, 1. permutatio vocum *ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ* cum similibus *πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν*; vel 2. Cor. 5, 10. permutatio vocum *τὰ ἴδια* cum *τὰ διὰ*. Memoria labi potuit in describenda longiori serie vocum; hinc toties variat ordo vocabulorum in sententiis, e. g. *σοὶ μίαν*, *καὶ Μωϋσεῖ μίαν*, *καὶ μίαν Ἠλίᾳ*; vel *Ἠλίᾳ μίαν* etc. Oculis erratum est vel transiliendo voces, seriesque, praesertim in similiter incipientibus, aut desinentibus, unde probabiliter descendit omissio versus 7-i capitis 5-i epistolae Joannis; vel permutando similes literas numerosve; v. g. 1. Tim. 3, 16 *OC* cum $\overline{\Theta}C$, seu *ὅς* cum *Θεός*. Porro auditus fefellit, si altero pronunciante liber scriptus est; imperfectus enim vel similis sonus ad aliam vocem scribendam facile deduxit; e. g. nihil facilius fuit, quam 1. Tim. 6, 20. *καινοφωνιας* et *κενοφωνιας* in pronunciatione, quae itacismum sequitur, permutare. Judicio denique erratum est, si separata sunt, quae juncta manere

debebant, vel vice versa; e. g. Joann. 8, 25. ὅ τι et ὅτι, alibi διὰ παντός et διαπαντός, ad Philipp. 1, 1. συν ἐπισκόποις vel συνεπισκόποις; — si notae marginales in textum illatae, de quo jam s. Hieronymus conqueritur*) dicens: „Miror, quomodo e latere adnotationem nostram nescio quis temerarius scribendam in corpore putaverit, quam nos pro eruditione legentis scripsimus.“ Porro si, quae synonima putabantur, arbitrarie fuerant permutata, uti κύριος cum θεός v. g. Act. 20, 28. πύλη et θύρα etc. Si loca parallela permutata, vel in complementum adhibita fuere v. g. Luc. 11, 2. 24, 12. 36. I. Thess. 1, 2; cui causae in specie s. Hieronymus multa tribuit, ita scribens: (Praef. in evang.) „Magnus hic in nostris codicibus error inolevit, dum, quod in eadem re alius evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum ceteros quoque existimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia.“ Erroneo judicio adscribendum etiam, si formulae liturgicae in textum receptae fuere, e. g. Matth. 6, 13. Si forma grammatica vel syntactica librario corrigenda videbatur, unde plurimi itacismi descendunt e. g. Πειλατος, Δανειδ, ραββει etc. Si abbreviationes male fuerunt intellectae etc. Hi communes esse solent fontes aberrationum et lectionum variantium. Interim experientia docemur, saepe calamo committi errores, quorum causa vix potest assignari. Criticus igitur non nimis confidat certo aberrationum systemati, neque justo plures deducat ex eo consequentias, nisi aërem verberare velit.

*) Ep. 106. t. 1. col. 653.

§. 47.

Familiae codicum.

Viri sagaces, conferendis codicibus intenti observarunt: permultos codices quoad indolem textus magnam habere ad invicem similitudinem, ita, ut in locis criticis hi quidem pari modo conveniant, illi autem aequaliter dissentiant. Ista observatio suapte excitavit opinionem illam, quae deinceps in Critica sacra celebris evasit, scilicet: dari codicum quasdam affinitates vel familias, quae si rite secernantur, res ipsa docebit: testes non jam singillatim numerandos esse, sed reflexe ad cognationem aestimandos. Primus, qui hunc sensum expressit, fuit Albertus Bengel, qui duas distinxit familias: africanam et asiaticam. Ejus vestigiis insistens J. S. Semlerus, nomina solum familiarum mutavit, africanam vocans occidentalem, asiaticam vero orientalem, et ad illam quidem codices e recensione Hesychii et Origenis, ad hanc autem per Lucianum emendatos referens. Rursum J. Jacob. Griesbachius priorem classem in duas dispescuit, scilicet in occidentalem et alexandrinam, et huic nomen orientalis dedit; adjecitque tertiam, sc. constantinopolitanam, seu byzantinam, quam e prioribus commixtam saeculo 4-o prodiisse et postea, saec. 5. et 6-o reformatam fuisse statuit. At paullo post has omnes de diversis codicum familiis vel recensionibus opiniones Chr. Fr. Matthaei, prope initium hujus saeculi, velut fundamento destitutas, explosit, quin tamen eruditos ad suas posset partes pertrahere. Potius L. Hug, et J. Godefr. Eichhornius eas ultro excoluerunt. Et ille quidem praeter communem editionem (κοινη εκδοσις) quam circa dimidium saeculi 3-i usuvenisse ponit, tres distinguit recensiones, Luciani quippe, Hesychii, et Origenis; ad primam codices asiaticos, ad alteram aegyptiacos, ad 3-am palaestinenses fuisse confor-

matos defendens. Similis fere est conjectura Eichhornii, nisi quod depravationem textus jam e saeculo 1-o derivet, et tertiam (Origenis) recensionem incertis adscribat auctoribus. C. Tischendorfius, quum fateatur, haec omnia ita comparata esse, ut textus historiam ex ingenio potius, quam e documentis historicis conficere videantur, quasdam tamen testium classes distinguendas esse ipse quoque defendit, maxime in evangeliis, deinde in epistolis Paulinis, minus vero in Apocalypsi et ep. catholicis. Illas autem alexandrinae et byzantinae nomine insignit, priori latinam, posteriori vero asiaticam instar paris adjungens. Alexandrinam autem dicit, quae inter judaeochristianos orientis celebrabatur; latinam, quae a latinis adhibebatur, sive latina, sive graeca potissimum lingva uterentur; asiaticam, quae potissimum graecis, sive per Asiam, sive in ipsa patria degerent, probabatur; byzantinam denique, quae ab ecclesia per byzantinum regnum diffusa legebatur. Atque hoc systema hactenus perdurat, nisi quod brevitatis causa sola alexandrina vel byzantina familia soleat nominari; de quibus ad invicem collatis magna est inter eruditos contentio, quaenam alteri bonitate praestet. Nam cum plerique alexandrino textui primas deferant, inventi sunt tamen critici, uti Scholzius, qui textum byzantinum prae alexandrino laudarent. *)

Certe studia haec nondum ita maturuerunt, ut aliquod systema circa codicum classes cum omnibus consectariis jam firmo pede consisteret, unde Tischendorfius fatetur, systema recensionum in Critica sacra pro summa norma et fundamento ponere, et temerarium et frustra esse. Res haec adhuc plena difficultatis est, vel idcirco, quod adhuc pauci codices ex integro et adcurate sunt per-

---

*) Cf. Dr. J. M. Augustin. Scholz Einleitung in die h. Schrift d. a. u. n. T. Köln 1845. t. 1. p. 627 §. 189.

vestigati. Ex collatis vero rari praeter byzantinos constantem praeferunt lectionum variantium indolem. Sic codex A teste Griesbachio in evangeliis exprimit textum constantinopolitanum, in epistolis Paulinis alexandrinum, in Actibus denique apost. et epist. cathol. occidentalem. Ipsa patria codicum saepe incerta est; quia codices ex alia in aliam regionem migrarunt, novisque apographis natales dederunt. Sic imperator Constantinus e Palaestina ab Eusebio, Constans vero ex Aegypto a s. Athanasio codices praestantes Byzantium mitti postulavit.

§. 48.

Regulae textum biblicum emendandi.

Dum criticus e variis lectionibus justum selectum facere vult: regulis opus habet in natura rei fundatis, quae in gravi hoc negotio excludant arbitrium. Et utinam unusquisque rerum biblicarum tractator sanctam sanctis rebus tribueret aequitatem, regulasque sequeretur, non quae genio magis arrident, sed quas veritatis jura deposcunt! Hoc tanto magis exigimus, quoniam tota ars critica, ut jam monuimus, nondum est plene stabilita, et regulae ceteris firmiores tamen interdum securitatem non praebent. Species adjunctorum non raro fallit. Ex quo sequitur, laborem textum emendandi non esse incipientium, aut quorumvis theologorum; postulat enim studium et experientiam plurimorum annorum, judicium defaecatum, moderationem religiosissimam. Regulae igitur artis criticae, quas hic proponimus, non pertinent eo, ut candidatos jubeant esse securos, sed ut eorum, qui in hoc genere versati sunt, observationes explicent, utique cum grano salis accipiendas, quoniam et ipsi critici ab invicem in sat multis divergunt.

Porro judicium de lectione ferri solet, ut ante dictum, e notis internis et ex testibus. E solis notis inter-

nis, absque suffragio testium in sola inevitabili necessitate, quae in n. t. vix occurrit, habet locum conjectura, ast emendatio sic facta non assurgit ultra probabilitatem, nec unquam in textum admittenda, sed in margine vel scholio eidem locus assignandus. Aliud est, si testes biblici dissentiant; tunc enim argumenta interna parti alteri tantum pondus addere possunt, ut longe praeferenda sit aliis, vel etiam sola admittenda.

Plerumque critica exercetur ope argumentorum externorum a testibus petitorum, in quorum numero primum locum occupant codices graeci non neglectis primis editionibus, quarum textus immediate e codicibus fluxit, alterum versiones antiquae immediatae, tertium citata patrum et reliqua documenta. Si jam isti testes inter se dissentiant: regulae valebunt sequentes:

1. Si testes per se sumti ejusdem sint auctoritatis, praevalet major numerus. Auctoritas vero pendet ab antiquitate et bonitate. Ubi tamen iterum monemus: codicem recentiorem, si certo constet ex antiquo accuratissime descriptum esse, aequivalere suo originali, prout etiam versiones repraesentant illa manuscripta graeca, e quibus factae sunt, dummodo certo constet, quid in originali lectum fuerit.

2. Inter testes inaequalis auctoritatis non numerus decidit sed gravitas. Videat autem criticus, ne auctoritatem sua metiatur inclinatione.

3. Si boni diversarum familiarum codices consentiant, dissentientes unius familiae testes, etsi numero plures, cedere debent.

4. Si boni codices graeci consentiant cum versionibus, et citatis accuratis antiquis: iste consensus praevalet majori numero codicum aliorum.

5. Universim textus a pluribus regionibus et ecclesiis receptus plus ponderat, quam qui in testibus ejusdem ecclesiae vel provinciae, quamvis numero majoribus continetur.

6. Silentium in regula non praejudicat testimonio expresso, nisi istud ex argumentis historicis esset suspectum.

7. Quo evidentior est mutationis causa, eo justior de corruptione suspicio, quo in casu lectio difficilior, si suffragia quorundam bonae fidei testium pro se habeat: probabilior fit. *)

§. 49.

Editiones criticae.

Cum ipsae regulae in dijudicanda et restituenda lectionum variantium bonitate sequendae a diversis criticis diversae statuantur, quid mirum, si in adplicatione earum auctores multum ab invicem differant, quandoquidem non raro unus idemque criticus a suis principiis in praxi resilit, et dum amphoram parat, urceus exit. Sane non immerito ab hoc tentamine reformandi textus biblici, postquam editiones quaedam communes evasissent, majores diu abstinebant, probe gnari, facilius esse destruere, quam solidius aedificium erigere. Et est in sanctuario religionis omnis innovatio magnae indaginis, ne cum zizaniis temere simul triticum eradicetur. Etsi igitur collectiones lectionum variantium, quo amplius crescebant, eo magis textus usitati naevos indicare videbantur: nihilominus priores disciplinae biblicae professores religioni ducebant apparatum criticum ad immutandum textum convertere; sed satis habebant lectiones variantes in margine, vel ad calcem adnotare, textus autem repetebatur aut receptus, aut complutensis. Protestantes ipsi adeo pro re-

*) Griesbachius inter criticas regulas ponit hanc quoque: „Lectio prae aliis sensum pietati (praesertim monasticae) alendae aptum fundens, suspecta est.“ Utinam vir bonus exemplis docuisset, quam perniciosa sit bonis artibus illa formidanda pietas, praesertim monastica!

cepto textu zelabant, ut nec Richardus Bentley Anglus († 1742.) nec J. Jacob. Wetstenius Hollandus († 1754) editionem ab eo recedentem publici juris facere potuerint. Sed, ut nihil est stabile, ubi traditionis auctoritas fundamento caret: ita et recepti textus nimbus paullatim apud protestantes dissipatus est, arsque critica ad textum reformandum manus admovit, unde editiones, quae criticae dicuntur, in arenam prodiere. Primam, moderate mutato textu, vulgavit a. 1734. Albertus Bengel, auctor distinctionis codicum in duas familias, africanam et asiaticam. Verumtamen major adhuc erat inter protestantes theologos auctoritas recepti textus, quam ut seu ipse, seu Joannes Jacobus Wetstenius editionem ita immutatam possent vulgare, prout studia critica et inclinationes ipsorum svadebant. Hic posterior a. 1751 et 1752 edidit textum receptum, interpositis signis, lectionum bonitatem indicantibus, in 2 tomis in folio, cum lectionibus variantibus et prolegomenis, ubi regulas criticas explicuit, et sacrae criticae fundamenta jecit. Ceterum studio partium excoecatus, et ob id a successoribus merito castigatus. Carpitur quoque, quod Bengelianae distinctionis codicum in familias nullam habuerit rationem. — Defectum hunc compensavit, remque criticam magnopere provexit Joannes Jacobus Griesbachius professor Hallensis, et postea Jenensis, cujus recensio cum ditissimo apparatu critico secundis curis edita (pars prior evangelia continens prodiit Halae 1796, altera cum reliquis libris ibidem 1806) vix non omnibus numeris absoluta esse videbatur, quamvis Christianus Fridericus Matthaei prof. Mosquensis principiis criticis a Wetstenio, Semlero et Griesbachio receptis jam prius vehementer repugnaverit, et collatis 105 novis codicibus, potissimum moscoviticis, oppositam viam fuerit ingressus, cujus specimen dedit Rigae 1782—1788 in recensione textus, ad receptum proxime accedente. At neque Griesbachium omne tulisse punctum successores do-

cuere. „Primum enim, inquit C. Tischendorf, testes eos, quos ipse summo loco posuit, nequaquam ea, qua debebat cura, contulit, ... deinde legibus suis criticis mirum in modum se implicuit, quum veterum recensionum rationem ingeniosius, quam rectius a se excultam et circumscriptam, inprimis sequendam duceret. Tum in constituendo textu semetipsum deseruit . . . . alio loco saepe eadem praetermisit, quae alio recepit“ etc. Hinc evenit, ut plures eruditi (Schulz, Knapp, Vater, Tittmann, Hahn) textum Griesbachianum haud inviolabilem aestimarent, et in novis editionibus plus minus emendarent.

Non magis juravit in verba Griesbachii J. M. Augustinus Scholz professor Bonnensis, et postea canonicus Coloniensis, qui susceptis per orientem itineribus documenta critica denuo investigavit; multa, quae prius incognita erant, detexit, et fructum literariae suae inquisitionis vulgavit in editione novi testamenti Lipsiae 1830. 1836. duobus voluminibus absoluta. In hac familias quidem codicum alexandrinam et byzantinam agnoscit, secus, ac Matthaei; at posteriori, quae longe majorem codicum numerum, potissime cursivorum complectitur, in textu constituendo palmam defert, ac eatenus eundem defendit textum, quem Matthaei. Censores quidem acres et acerbos sustinuit, quin tamen a sententia recederet, quam potius in Introductione biblica a. 1845 confirmavit.

Recentissime laboribus criticis inclaruerunt Carolus Lachmann prof. Berolinensis et Constantinus Tischendorf, prof. Lipsiensis. Ille in inveniendo apostolico textu, prout saec. 4-o per orientem vigebat, neglectis aliis testes adhibuit codices antiquissimos uncialibus literis scriptos, versionem italam per s. Hieronymum emendatam, nec non patres latinos usque saeculum 4-um. Recensionem sic paratam edidit Berolini in duobus tomis 1842 et 1850. — Tischendorfius aliorum acer censor, observato eo in systemate Lachmanni „testium paucitatem tantam esse, ut

quod Lachmannus volebat, (exprimere textum saec. 4-o vulgatissimum) id in desperatis rebus habendum esse suo exemplo comprobaverit," in sua recensione, anno 1849. Lipsiae secundis curis edita, in genere causam alexandrinae familiae perorat, et via Griesbachiana progreditur, multa simul inducens propria, a successoribus fors denuo deserenda. Permanens vero meritum sibi paravit plurium antiquorum codicum praestanti editione, e quorum numero sunt C, et L. Parisienses.

§. 50.

Reflexiones in criticam biblicam.

His enarratis animum sponte subit illa cogitatio: libros, quorum minutissimis naevis et apicibus emendandis eruditissimi viri totius vitae succum et sangvinem impendebant, non modo fabularum promtuaria non esse, sed etiam divinum quid habere, quod ad labores ipsorum gratia patientissime tolerandos magis trahat quam invitet. Fructus quidem tanti sudoris adhuc sunt immaturi: certe tamen providentia divina per tot congestos noctesque diesque labores veritati novum parat splendorem, etiamsi per longas errorum ambages ad ejus possessionem oporteat pervenire. Sentient profecto serius ocyus ipsi increduli, biblicas varietates jam dudum degeneraturas, atque ipsam substantiam religionis corrupturas fuisse, nisi vigilaret ille, qui solus dignus est aperire librum et solvere septem signacula ejus, qui aperit et nemo claudit, claudit, et nemo aperit. Inpraesentiarum vero artis criticae producta illam nobis ingenerant persvasionem: sapientissime scilicet egisse synodum Tridentinam, quod ex vehementer variantibus latinae versionis exemplaribus textum certum selegerit, qui in usu publico unitatem conservaret. Quidni criticae editiones tale remedium etiam pro textu graeco in dies magis demonstrant necessarium? Si enim variae hae edi-

tiones conferantur ad invicem: omnino clamant: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae. Et in campo quidem criticae valeat haec aemulatio, quantum valere potest: at quis neget gravia incommoda in usu liturgico, vel scholari suboriri, si singulus auditorum aliam atque aliam teneat recensionem? In ipsis theologicis demonstrationibus persaepe provocamus ad textum originalem, ubi licet substantia sensus eadem sit, male tamen sonat, si idem textus a tertio, quarto diversis verbis allegetur. Sed et ipsa dignitas verbi Dei postulare videtur, ut in usu publico certa adsit unitas, ne attentio praeter scopum in accidentalia dissipetur. Distingvendum igitur censemus inter usum solennem, et privatam eruditionem. In illo, quod vetustius, hoc et melius et venerabilius; nisi mutationem praegnantes causae reddant necessariam. Quare nec s. Hieronymus vult omnia, quae eruditionis causa proferuntur, in usum publicum admitti. In specie varietatem textus originalis vetat mox inseri textui ad usum ecclesiasticum servienti. „Hoc enim, inquit, quod septvaginta transtulerunt, propter vetustatem in ecclesiis decantandum est; et illud (quid scilicet in fonte legatur) ab eruditis sciendum propter notitiam scripturarum. Unde si quid pro studio e latere additum est, non debet poni in corpore, ne priorem translationem pro scribentium voluntate conturbet.“ *) Nec verendum, ne per publicam certi textus receptionem aut interpretum aut criticorum studia impediantur, haec enim sua via progredi aeque nihil vetaret, quemadmodum per vulgatae receptionem libera mansit artis tam hermeneuticae quam criticae cultura. Vulgatam quippe suos habere defectus etsi nemo catholicorum ignorat: tamen usus ejus uniformis in allegationibus prudentissimo cuivis probatur, simulque ad promo-

*) Ep. 106. t. 1. col. 654.

vendum studium scripturae inter latinae lingvae peritos egregie conducit. Profecto, si textus, qui vocatur receptus, cum ultra saeculum solus dominaretur, nec veritati religionis nec scientiarum progressui obstabat: multo minus timendum esset a publica receptione e. g. editionis Complutensis, e dignissimis manibus profectae, et apostolica approbatione sacratae, de qua jam doctissimus Millius ecclesiae anglicanae presbyter non dubitavit sequens votum exprimere: Optandum, inquit, omnino esset, ut editio haec magnifica sicut omnium prima erat, ita sola quidem fuisset, cujus textus demto uno et altero vitio .... integer et illibatus in editiones posteriores quasque transisset.“ Critica quidem Griesbachiana, vel Lachmanniana, vulgatae magis favere praetenditur, quam editio Complutensis, quatenus in permultis lectionibus ad eam propius accedit, quam textus codicum asiaticorum, e quibus etiam Complutensis fluxit: sed quis non videt per subjectivam istam criticam, quae integras pericopas vel resecat vel uncinis ceu suspectas notat, (e. g. Marc. 16, 9—20. Joann. 7, 53—8, 11 etc.) textus biblici integritati acerbiora infligi vulnera, quam per longe majorem variantium copiam? Non est quidem hujus loci partium illarum apologiam perorare, illud tamen ὡς ἐν παροδῷ observamus: traditionem ecclesiasticam, prout in omni causa revelatae religionis, ita etiam in critica sacra ceu primae auctoritatis criterium esse tenendam. Nec enim textus, in publico ecclesiarum usu positus, quoad notabilem partem temere potuit innovari; ut adeo factum historicum, tam occidentalis quam orientalis ecclesiae lectione sacra celebratum, validissimum sane habeat pro se testimonium, quod criticorum codices conferentium arbitrio nequit esse obnoxium. Valet quippe et hic illud Tertulliani: „Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.“ (De Praescript.) Quid enim pauci quidam codices, quorum privata est origo, et incerta historia, va-

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 183 von 294

leant contra perpetuum ecclesiae usum, praesertim si inter se dissentiant quoque, et ratio silentii insufficiens jam a scriptoribus antiquis prodita sit? Dum ergo recentiores critici partes quasdam scripturae, quae suffragio universae ecclesiae probatae sunt, volunt erasas, tantum est, ac si levibus calamis nitaris petram immobilem dimovere. Quantis obseptum sit lectionum examen difficultatibus, quam facile pateat locus errori, dum ex innumeris adjunctis quaedam effugiunt attentionem: luculente monstrat criticorum mutua concertatio, et editionum biblicarum ab eis profectarum disparitas. En exemplum in folio adjacente.

Ad avertendam hujusmodi fluctuationem ecclesia catholica, certae suae traditionis conscia, in concilio Tridentino pleno jure sequens tulit decretum: „Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in vulgata latina editione habentur, et in ecclesia catholica legi consveverunt, pro sacris et canonicis non susceperit.... anathema sit.“ Ceterum nolumus omnes variantes vulgatae pro inviolabilibus declarare. Sint licet plures earum minus certae: cum tamen paucae occurrant, quibus codicum graecorum suffragium non accederet: et cum veram lectionem pauciores quoque aut recentiores potuerint codices conservare: certe in tanta raritate testium ex octo prioribus saeculis petendorum, moderatio illa judicii valde rationalis est, qua criticus traditum ecclesiae textum in integra quadam pericopa mutilare sibi religioni ducit.

De lectionibus variantibus illa etiam occurrit observatio: inspirationem sacrorum auctorum ad ipsa verba non fuisse ubique extensam; nam si Spiritus s. verborum speciem ceu necessariam suggessisset, textus non posset ita variare, ut interdum, quid ab auctore scriptum sit, maneret incertum. Multo minus potuisset hebraicum Matthaei evangelium penitus intercidere, solaque ejus versio manere. Verba quippe, quae in origine erant necessaria,

ad paginam 176.

Exemplum differentis textus in variis editionibus, e cap. 5. evang. S. Joannis.

Goldhagen.	Griesbachii.	Vulgata.	Lachmanni.	Tischendorfii.
1. *Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα.*	1. *Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα.*	1. Post haec erat dies festus Judaeorum, et ascendit Jesus *Jerosolymam.*	1. *Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα.*	1. *Μετὰ ταῦτα ἦν ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα.*
2. *Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα.*	2. *Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα.*	2. Est autem Jerosolymis *Probatica* piscina, quae cognominatur Hebraice *Bethsaida*, quinque porticus habens.	2. *Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα.*	2. *ἔστιν δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά, πέντε στοὰς ἔχουσα.*
3. *Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν, ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν.*	3. *Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν, (ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν.*	3. In his jacebat multitudo magna languentium, coecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum.	3. *Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος (πολὺ) τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν, ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν.*	3. *ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν.* ***Reliquum omittitur.***
4. *Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ· ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος, ὑγιὴς ἐγένετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι.*	4. *Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ· ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος, ὑγιὴς ἐγίνετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι.)*	4. Angelus *autem Domini* descendebat secundum tempus in piscinam: et *movebatur aqua. Et qui prior* descendisset *in piscinam* post motionem aquae, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate.	4. *Ἄγγελος (κυρίου) γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. Ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος, ὑγιὴς ἐγίνετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι.*	***Omittitur.***
5. *Ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ.*	5. *Ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ, τριάκοντα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ.*	5. Erat autem quidam homo ibi, triginta *et* octo annos habens in infirmitate *sua.*	5. *Ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ, τριάκοντα (καὶ) ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ αὐτοῦ.*	5. *ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ τριάκοντα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ αὐτοῦ.*
6. *Τοῦτον ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς κατακείμενον, καὶ γνοὺς ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, λέγει αὐτῷ· Θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι;*	6. *Τοῦτον ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς κατακείμενον, καὶ γνοὺς, ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, λέγει αὐτῷ· Θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι;*	6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?	6. *Τοῦτον ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς κατακείμενον, καὶ γνοὺς, ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, λέγει αὐτῷ· Θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι;*	6. *τοῦτον ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς κατακείμενον, καὶ γνοὺς ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, λέγει αὐτῷ Θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι;*
7. *Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν· Κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ἵνα, ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ, βάλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν· ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ, ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει.*	7. *Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν· Κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ἵνα, ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ, βάλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν· ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ, ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει.*	7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.	7. *Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν· κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ἵνα, ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ, βάλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν· ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ, ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει.*	7. *ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν κύριε ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ἵνα ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ βάλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν· ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ, ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει.*
8. *Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· Ἔγειραι, ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει.*	8. *Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· Ἔγειραι, ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει.*	8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.	8. *Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἔγειρε, (καὶ) ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει.*	8. *λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς* ***Ἔγειρε*** *ἆρον τὸν κράβαττόν σου καὶ περιπάτει.*
9. *Καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος· καὶ ἦρε τὸν κράββατον αὐτοῦ, καὶ περιεπάτει. Ἦν δὲ σάββατον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.*	9. *Καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἦρε τὸν κράββατον αὐτοῦ, καὶ περιεπάτει. Ἦν δὲ σάββατον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.*	9. Et statim sanus factus est homo ille: et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.	9. *καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἦρε τὸν κράββατον αὐτοῦ, καὶ περιεπάτει. Ἦν δὲ σάββατον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.*	9. *καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἦρεν τὸν κράβαττον αὐτοῦ καὶ περιεπάτει· ἦν δὲ σάββατον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.*



talia semper mansissent, adeoque sine mutatione debuissent conservari. At eo ipso, quod verborum variationi sit locus: quandoquidem a verbis pendeat sensus: necesse fuit interpretem scripturae authenticum constituere, qui mutatione vocum non obstante de sensu dogmatice vero certum ferret testimonium.

Articulus IV.

De textus biblici usu.

§. 51.

Lectionis biblicae momentum et methodus.

Biblia nec rite nosci, nec digne possunt aestimari, nisi diligenter legantur. Cum autem ars biblia cum fructu legendi ab experientia veniat: in ipsa etiam, quadam introductione tanto magis opus est, quod inordinata lectio etiam noxia potest evadere, vel saltem non fert temporis et laboris impensi optatum fructum. Interim autem expendendum: an lectio scripturae sit svadenda, vel non; erant enim non pauci, qui vel nimium in hoc genere defenderent: vel biblica lectione turpiter abuterentur.

Ecclesia catholica, quae scripturam sacram ceu fontem religionis etsi non unicum suspicit: quae ipsius divinam auctoritatem contra heterodoxos et incredulos tuetur: quae denique in coetibus liturgicis illam tanquam verbum Dei publice praelegit: sibiipsi repugnaret vehementer, si eam a suis membris in genere legi nollet. Et de clericis quidem, velut futuris, vel jam ordinatis verbi Dei ministris res est extra omnem controversiam posita. Quid nisi jugi memoria illos oportet recolere verba s. Hieronymi ad Nepotianum ita scribentis: *) „Divinas scripturas saepius

*) Ep. 52. t. 1. col. 260.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 187 von 294

lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas: obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere.“ Dici vix potest, quantum in sacerdote perficiatur sensus et sapor coelestium, ipsaque suo munere rite fungendi habilitas, per lectionem sacrae scripturae rite institutam. Non enim haec ad solas cognitiones augendas valet: sed totum hominem percolit, et nobilitat. Idea ideam, affectus excitat affectum, et cui Deus loquitur, quid non e tali conversatione cxspectet? Si sapientem audire jam proficere est: profecto Deum audire, in quo vivimus, movemur, et sumus, multo carius est. Falluntur itaque, qui omnem lectionis biblicae utilitatem in eo reponunt, quod sic memoria vel intellectus cognitionibus augeatur; quum potius lector adfletur spiritu ibidem diffuso, quo etiam nescius regitur et instruitur per omnem vitae varietatem. Ceterum optime fructus lectionis biblicae ex usu cognoscuntur. Illud tamen diligenter advertendum: in debita animi dispositione, et lectionis methodo permultum esse repositum, ut labor salutaris evadat; quare de utraque pauca commendabimus cum speciali ad ministros ecclesiae reflexione.

Quantum ad animi dispositionem: multum interest, 1) Ut animo sedato, a turba curarum vel hominum abstracto legatur scriptura, juxta illud prophetae: „Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus“ *) Saltem illo tempore, quod sacrae lectioni impenditur, sit lector totus huic addictus, tametsi in medio turbae e. g. iter agentis versetur. Ceterum opportunissima est hora a surrectione proxima, ante vel post meditationem.

2) Praecedat et subsequatur pia oratio, qua coeleste lumen petatur ad veritatem scripturae intelligendam, et

*) Oseae 2, 14.

auxilium ad eandem tenendam, sive sit veritas fidei, sive morum institutio. Hoc ipsum commendabat senex ille venerabilis, qui licet incognitus Justino auctor fuit, ut scripta prophetarum legeret. [1]) „Tu, inquit, ante omnia precare lucis portas tibi aperiri; neque enim haec quisquam perspicere et intelligere possit, nisi cui Deus intelligere dederit, et Christus ejus.“ Hoc idem praecipit etiam s. Augustinus [2]) his multum significantibus verbis: „Non solum admonendi sunt venerabilium literarum studiosi, ut in scripturis sacris genera locutionum sciant: ... verum etiam, quod est praecipuum, et maxime necessarium, orent, ut intelligant.“

3) Possideat lector modestam docilitatem absque judicii proprii pertinacia, vel amore paradoxorum; illud pro certo tenens: hoc esse maxime verum, quod est maxime catholicum; ecclesia enim jam pridem non staret, vel omnino esset, quasi non esset, si a veritate latum ungvem deflexisset. Praeclare iterum s. Augustinus: [3]) „Nec aliam, inquit, tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem.“ Sic vir acutissimi ingenii s. Augustinus. Insana igitur capti sunt vertigine, qui cuilibet sensui mox majorem deferunt eruditionis palmam, si a communi ecclesiae catholicae sensu discrepat; veluti pro servili reputantes, antiquo veritatis magistro adhaerere, et in latum errorum campum non excurrere. Quisquis ita sentit, similis est pertinaci coeco, qui per incerta viarum fidum ductorem abnuit, ut ne quid ipsi de gloria propriae directionis decedat.

---

1) Dial. cum Tryph. nr. 7.

2) De doctr. christ. l. III. c. 37.

3) Ep. 118. ad Dioscor.

Ut jam de recta methodo legendi scripturam dicamus 1) Adhibeatur editio bonae notae; non enim est valor editionum indifferens. Omnes quidem editores verbum Dei propinant: verumtamen timeas Danaos et dona ferentes. Nam et historiam ejusdem temporis vel argumenti multi scribunt: sed quam diversam!

2) Fiat apta distributio scripturae totius, tempori et scopo accommodata. Quoniam vero ministros ecclesiae totum sacrum codicem nosse oportet: distingvenda erit duplex lectio; alia, quae fit eruditionis causa, et ad fidem quidem firmandam tendit, sed via quasi longiori; alia vero proxime spirituali aedificationi et pio sensui fovendo serviens. Illa bene dicitur s t u d i u m, haec stricte spiritualis l e c t i o.

Regulae studii sunt:

a) Praefigatur lectioni specialis scopus, et ad hunc semper fiat reflexio; e. g. volo hac vice colligere argumenta pro refutando systemate causarum naturalium in explicandis miraculis, vel pro demonstrando doctrinae catholicae perfecto consensu cum sanis postulatis cujusvis hominum status; vel excerpam textus pro concinnando certo sermone, aut themate theologico valituros etc.

b) Colligantur praeviae notitiae, quae introductionis loco serviant, ad noscendum librum.

c) Intra studium consule notas probatissimorum scriptorum.

d) Perpetuas fac adnotationes, quae deinde saepius relegantur, et in ordinem redactae indice instruantur.

De studio hactenus. Lectio vero, quae ad spiritum religionis aedificandum proxime dirigitur, ad totam scripturam, in specie veteris foederis, extendi non debet; sed exemplo ecclesiae, quae selectas pericopas praelegit, ad certa capita potest reduci, quae scilicet ad vitam religiose moderandam inprimis conducunt. Cum autem haec

et multa sint, et varia: quo saepius, praetermissis aliis, fuerint relecta, eo certius lectio biblica obtinebit finem, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. In novo quidem testamento pauca sunt, quae ad hunc finem, praesertim in exercitatis, non valerent: nihilominus commodum facient novitii lectores, si quasdam partes ad studium potius adhibuerint, quam ad recollectionem spiritualem, uti sunt priora XI. capita epistolae ad Romanos, prior medietas epistolae ad Ephesios, tota fere II-a ad Corinthios, ad Galatas et ad Hebraeos cum Apocalypsi. In evangeliis juvat etiam harmoniam eorum prae oculis habere, et loca parallela conferre. In genere autem praestat parum cum attentione, quam multum distracte, et obiter legere. Ipsa quoque mutatio, ut scilicet pericopis historicis adjungantur, vel interponantur didacticae, utilitate non caret.

Denique ingenuis bibliorum amicis majorem in modum commendamus selectarum pericoparum pro memoria perceptionem. Si enim alia multa memoriae imprimuntur: quis dubitet, verbum Dei hujusmodi diligentiae argumentum esse dignissimum? Tempus huic labori sacratum, non perit; nam „quomodo descendit imber et nix de coelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit: sic erit verbum Dei.“ Reddet quippe foenus foecundum saepius quam praevidere possis, dum vel in sacro poenitentiae tribunali, vel in sermonibus, pro occasione subito parandis aut dicendis occurret menti sermo Dei vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.

Quibus autem pericopis memoria sit imbuenda: optime quidem cujusvis necessitas, e speciali vocatione, officio, et habitu morali, nata, vel etiam pia inclinatio decernit: universim tamen textus, quos infra, §. 54-o adducemus, ceu sedes veritatum gravissimarum, inprimis commendamus. Si quos autem fames verbi Dei ad aemu-

landa meliora charismata compellit: sequentia *ἀναγνώσματα* habeant insuper sibi commendata:

cap.	vers.	cap.	vers.
Matth. 5. 6. 7.		Act. Ap. 4. 5.	
„ 10,	16—42.	„ 20,	17—38.
„ 11,	25—29.	ad Rom. 8,	5—39.
„ 16,	13—27.	„ 13,	1—8.
„ 18,		I ad Cor. 3. 4.	
„ 25,	31—46.	„ 11,	23—32.
Marc. 16,	14—20.	„ 13.	
Luc. 1. 2.		II ad Cor. 11,	18—33.
„ 10,	30—42.	„ 12,	1—21.
„ 15. 16.		ad Gal. 6.	
„ 24,	13—53.	ad Ephes. 4.	
Joann. 6.		ad Philipp. tota.	
„ 13—16.		II ad Tim. tota.	
„ 21.		Jacobi tota.	

Longe vero absit, ut aliquis cognitionem scripturae, verbaque ejusdem ad res frivolas, aut impios abusus adhibeat. Itaque sancte observanda sunt, quae de hoc objecto sacra synodus Tridentina decrevit his verbis: „Post haec temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae sacrae scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos: mandat et praecipit ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba scripturae sacrae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines temeratores et violatores verbi Dei juris et arbitrii poenis per episcopos coërceantur.“

§. 52.

De lectione s. scripturae in lingvis vernaculis.

Res in se utilissima, per minus rectum usum fit noxia. Cum autem inter laicos pauci numerentur, qui seu debitam animi dispositionem, seu necessaria praecognita ad legendum sacrum codicem possint adhibere: patet lectionem biblicam non cuivis absque discrimine svadendam esse. Quidquid enim in bibliis legitur, tanquam verbum Dei obsequium intellectus poscit. Si ergo lecta male intelligas: aeque rapiet assensum error, ac veritas germana. Jam vero praeterquam, quod injuria sit in Deum, falsum ex ejus verbo deducere: etiam fides et salus hallucinantis periclitatur, qui scilicet in errores devians a Christo, qui via veritas et vita est, discedit.

Porro si naufragium istud in lingva eruditorum potest evenire; quanto magis in lectione, cujus vehiculum est lingva vulgaris. Certe quo minus culturae literariae possidet lector: eo facilius fallitur sonis verborum, quae se intelligere putat, quin tamen sensum penetret. Accedunt difficultates et pericula errandi in translatione ipsa. Lingvae enim vulgares vel non sunt plene idoneae ad orientales antiquarum lingvarum phrases e vero reddendas: vel auctores versionum, tot saeculis a fonte remoti hunc saepe conturbarunt; ne quid memoremus de versionibus mala fide, vel frivola levitate paratis.

Quia vero a tempore inventae typographiae versiones valde sunt multiplicatae: et praesertim a novationibus Lutheri abusus plurimi cum vernaculis translationibus contigerunt: ad tuendam auctoritatem verbi Dei, et conservandam rectam fidem necesse erat, ut fideles ab his periculis avocarentur. Idcirco concil. Tridentinum non solum e plurimis, quae tunc circumferebantur, latinis versionibus, quaenam tuto possit adhiberi, definivit, sed etiam de ver-

nacularum usu sapienter monuit, et summis pontificibus reliqua disponenda reliquit; quorum auctoritate lectio biblica in lingvis vernaculis ad certas conditiones restricta, nequaquam autem catholicis penitus et absolute fuit interdicta. Idque spiritui apostolico plane conformiter, qui etsi sua scripta in coetu fidelium legi voluerunt: non tamen independenter a praepositorum interpretatione, sub quorum directione utique fideles privatim etiam legebant scripturam. Ceterum jam s. Petrus conquestus fuit, quaedam in epistolis s. Pauli depravari ab indoctis, ad suam ipsorum perditionem. Quae verba oeconomiam ecclesiae catholicae optime illustrant. Sane si jam apostolorum temporibus inventi sunt, qui scripturam cum periculo propriae salutis perverterent, et si Philippus jam tunc interrogare potuit eunuchum, putasne intelligis, quae legis? quanto magis providendum serius fuit, ne indocti depravarent scripturas, sed esset, qui ostenderet illas?

Dum igitur ecclesia catholica saluti fidelium consulens non vetat sed moderatur lectionem scripturae, quis hoc ei succensebit? Si protestantes glorientur, Lutherum biblia desub scamno protraxisse, et legitimo honori restituisse, veritatem historicam male dissimulant, nec reflectunt ad abusum, qui Lutheri tempore circa scripturae lectionem eo in gradu invaluit, quo nunquam antea. Usus bibliorum satis fuit jam ante Lutherum vulgatus, quod comprobant innumerae editiones et versiones biblicae variarum lingvarum, pridem ante Lutherum factae.

Porro ad avertendum abusum scripturae inter decem illas regulas, quas de libris prohibitis patres a Tridentina synodo delecti concinnarunt, et Pius papa IV, pluresque summi pontifices confirmarunt: IV regula sic praecipit: „Quum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingva passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri: hac in parte judicio episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum

consilio parochi vel confessarii, bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingva eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant.“ Regula haec anno 1757-o ad propositionem Congregationis Indicis a Benedicto XIV pontifice sic fuit mitigata, ut facultas legendi biblia ad omnes catholicos extenderetur, dummodo versio sit approbata, et cum adnotationibus, desumtis e sanctis patribus vel doctis catholicis viris, edita. *) Et haec est usque hodie disciplina ecclesiae nostrae.

Quum porro tales non sint editiones, quae a societate biblica anglicana hujusque filialibus ab anno 1804 in im-

---

*) Opportune hic in memoriam vocatur illa pars decreti Tridentini, quae ad editionem bibliorum, aliorumve librorum de rebus sacris agentium respicit, et a catholicis biblici studii tractatoribus haud est negligenda, scilicet: „Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subjaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti vel impressi, authentice appareat, idque totum, hoc est et probatio et examen, gratis fiat, ut probanda probentur, et reprobentur improbanda.“

mensa massa per totum fere orbem distrahuntur: merito vigilantissimi pastores ecclesiae summi pontifices item plures episcopi catholicos ab eorum usu gravissime avocabant.

§. 53.

Usus bibliorum liturgicus.

Mos legendi scripturam v. f. in sacris conventibus, quem judaei frequentabant, ipsius Christi, et apostolorum factis probatus, transiit ad christianos, ita tamen, ut accederet, imo potiori loco esset lectio librorum, quos apostoli vel scripserunt, vel commendarunt. Cum enim divina auctoritate opera talia fuisse edita, ecclesia persvasum haberet, nihil magis tam ad gloriam Dei, quam ad aedificationem fidelium cedere merito censebat quam verbum Dei tunc temporis annunciatum, dum animi precibus, et sensu majestatis divinae in mysterio eucharistiae praesentis ad illud excipiendum optime essent dispositi. Deus quippe sic praeclare colitur, si cum timore ejus propriam salutem operamur. Sed et expressa fuit voluntas apostolica, ut sua scripta in ecclesia legerentur, quod optime fieri potuit in liturgia publica. Sic s. Paulus ad Coloss. 4, 16. scribit: „Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite, ut et in Laodicensium ecclesia legatur.“ Item 1. ad Thess. 5, 27. „Adjuro vos per Dominum ut legatur epistola haec omnibus sanctis fratribus.“

Itaque lectio librorum canonicorum solemnis evasit pars cultus divini publici, mansitque in ecclesia catholica usque in hodiernum diem. Primus, qui hujus usus, ceu communis meminit, est s. Justinus m. in Apol. 1-a scribens de apostolorum commentariis, illa die solis praesente populo praelegi, quantum per tempus licet. Idem testatur Tertullianus l. de anima, Origenes contra Cels. et alii plures, ita ut praelectio hujusmodi, una cum celebratione

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA

sacrificii et precibus, inde ab origine ecclesiae principale fuerit elementum liturgiae sacrae. Verbo namque Dei, et corpore Christi pascitur anima humana in vitae praesentis indigentiis, quas pie non minus ac vere exponit liber de imitatione Christi: „Duo inquit, mihi necessaria maxime sentio in hac vita, sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita. In carcere corporis hujus detentus, duobus me egere fateor, cibo scilicet, et lumine. Dedisti itaque mihi infirmo sacrum corpus tuum ad refectionem mentis et corporis; et posuisti lucernam pedibus meis verbum tuum. Sine his duobus bene vivere non possem; nam verbum Dei lux animae meae, et sacramentum tuum panis vitae.“

Primis autem ecclesiae temporibus libri sacri non sic praelegebantur, ut hodie, selectis hinc et inde pericopis; verum libri vel omnes, vel designati legebantur per partes integri, et ab arbitrio stabat antistitis, plus vel minus praelegi curare. At postquam ritus liturgiae plenius evolvi, et festis auctis cepit adcommodari: etiam praelegendae pericopae tum in specie, tum in extensione figendae fuerant; et quo magis festorum numerus crevit, zelus autem christianorum decrevit, tanto saepius recedendum erat ab ordine legendi, et a pericoparum prolixitate.

Ideo jam s. Augustinus expositionem evangelii sancti Joannis, quam in ecclesia ordine liturgico suscepit, ob intervenientia festa se abrumpere testatur, dicens: „Meminit sanctitas vestra evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare. Sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex evangelio lectiones oportet recitari, quae ita sunt annuae, ut aliae esse non possint, ordo ille, quem susceperamus, ex necessitate paululum intermissus est, non omissus.“

Jam igitur tempore s. Augustini erant annuae pericopae, quoad festa. Idem porro quoad dies Domini, si non necessarium, saltem commodum et congruum fore videbatur vel idcirco, ut in liturgia major inter ecclesias ob-

tineret unitas. Quare ecclesia Romana sub Damaso pontifice jam pericopas certas videtur induxisse, quarum concinnator, hortante pontifice, probabilissime s. Hieronymus fuit; nam et ejus nomen in quibusdam codicibus pericoparum occurrit, et a saeculo 5-o usus earundem pericoparum communior evasit, donec aetate s. Gregorii M. sicut versio et emendatio Hieronymi, ita liber quoque pericoparum exemplo ecclesiae Romanae passim a latinis reciperetur, eo observato, nonnullas postea quoque mansisse differentias partim ob festa propria ecclesiarum, partim ob liturgiam non adhuc plene defixam.

Hodiernus delectus et ordo pericoparum in antiquo quidem usu fundatus, at tunc primum lege sancitus est, cum e decreto concilii Tridentini tam missale, quam breviarium, curantibus pontificibus revisum fuisset. Argumentum autem hodiernarum pericoparum festis quidem est accommodatum, ita ut pro ratione mysterii, vel facti, cujus annua memoria recolitur, facile etiam pericopa evangelii memoriae occurrat, e. c. in nativitate Domini Lucae 2. in epiphania Matth. 2. in resurrectione et asc. Domini Marci 16. in festo corporis Christi Joann. 6. in assumtione B. M. V. Luc. 10. in festo OO. SS. Matth. 5. etc. At in dominicis, praesertim a pentecoste usque adventum, non videtur certum systema direxisse delectum pericoparum. Nec sunt istae ex omnibus libris canonicis collectae, (de dominicis et festis publicis ritus Romani loquimur); nominatim nihil legitur ex ep. 2. ad Thessal. utraque ad Timotheum, 2-a Petri, 2. et 3-a Joannis item Judae. Pericopae evangelicae plurimae desumtae sunt e Matthaeo et Luca, (e singulo circiter 30) pauciores (circiter 20) e Joanne, tandem 7. vel 8. ex Marco.

Libri vet. foed. demtis quadragesimae feriis, et quibusdam festis plane non leguntur, nisi pericopa Isaiae in epiphania Domini.

Hiatum lectionis publicae pro sacerdotibus compensat obligata recitatio breviarii, in quo amplior est librorum sacrorum pertractatio. In specie e ritu Romano duae epochae anni sunt lectioni vet. testamenti sacratae, et totidem novo.

Illarum altera currit a dominica septuagesimae, usque pascha: in qua Genesis, Exodus et Jeremias leguntur; altera a festo SS. Trinitatis usq. ad nativitatem Domini, in qua libri Regum, mense Augusto doctrinales, Septembri Job, Tobias, Judith, Esther, Octobri 2 libri Maccabaeorum, Novembri Ezechiel Daniel et 12 prophetae minores, denique in adventu Isaias leguntur. Ex ordine lectionis omittuntur tres posteriores libri Pentateuchi, Josue, Judicum, Ruth, Paralipomenon, Baruch, Esdras, Nehemias et Canticum. Data tamen occasione etiam ex his particulae excerpuntur.

Pro novo testamento breviarium Romanum assignat epocham a nativ. Domini usque ad dominic. septuagesimae, in qua leguntur epistolae s. Pauli, deinde a domin. resurrect. usque ad SS. Trinit. dum Actus apost. Apocalypsis et epistolae catholicae tractantur. Fatendum tamen, lectionem hanc nequaquam id efficere, ut sacerdotes privata bibliorum lectione possint carere, quam, si patrum digni successores esse velint, certe studebunt nocturna versare manu, versare diurna.

§. 54.

Usus dogmaticus et moralis ll. ss. n. t.

Principalis usus textus biblici in eo consistit, ut per eum dogmata nostrae fidei demonstrentur, et virtus christiana excitetur, foveaturque. Qui igitur sacros libros noscere cupiunt, etiam istius usus notitiam capiant est necesse, quod fiet, si saltem historice noverint enarrare,

quinam textus valeant ad summas quasdam fidei veritates tam theoreticas, quam practicas comprobandas. *) Damus igitur brevem selectum talium veritatum christianarum, quas frequenti, vivaque recolere memoria haud ceciderit in vanum. Qua in re juvabit etiam subnectere textibus dogmaticis auctoritatis testimonia, quae ipsos textus ad easdem veritates probandas adhibent, et sic datum sensum confirmant.

I. Veritates fidei.

1. *Tres distinctae divinae personae in Deo.*

„Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.“ (Matth. 28, 19.)

Trinitatem hoc textu probat s. Athanasius (in orat. super: Omnia mihi tradita sunt... Luc. 10, 22. Item in ep. ad Serapionem de s. Spir. Item serm. 3. contr. Arianos.)

S. Ambrosius (l. 1. de Spir. s. edit. Bened. t. 4. col. 36.)

S. Basilius (ep. 210. ed. Bened.)

S. Hilarius (l. 2. de Trin. t. 2. col. 29. ed. Ben.)

S. Gregorius Nazianz. (in orat. habita coram 150 epp. et in or. 5. de Theol. ed. Venet. 1753.)

Estque communis ecclesiae sensus, teste formula baptismi.

---

*) Praevia hujusmodi notitia non tantum nihil praejudicat Theologiae dogmaticae, et morali, sed utrique etiam utile fert subsidium. Plenior demonstratio dogmatum et officiorum utique illas manet. Nec est hoc falcem in alienam mittere messem; sed tantum: ex introductione in notitiam textus biblici illud non omittere, cujus optimum capias fructum. *Ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία ὑμῶν ἔσται.* (Luc. 12, 34.) Notandum etiam: hic nonnisi instar primarum linearum adduci textus, qui certas veritates probare valeant, selectos quidem, sed non omnes.

2. *Filius est vere et proprio sensu Deus.*

„In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.... Et mundus per ipsum factus est.“ (Joann. 1, 1. seqq.) „Ego et Pater unum sumus“ (Joann. 10, 30.)

In hunc sensum istis locis utitur s. Leo Magn. in ep. ad Flavianum, in concilio generali Chalced. summo consensu approbata. Tum patres omnes, qui praesertim posteriorem locum contra Arianos allegant.

Catech. Rom. (P. 1. c. 3. qu. 8. et 9. item c. 4. qu. 1.)

3. *Secunda Divinitatis persona humanam naturam assumsit.*

„Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.“ (Joann. 1, 14.)

„Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.“ (ad Philipp. 2, 5—7.)

Utrumque textum eodem sensu adhibet s. Leo Magn. l. c.

4. *Christus fundavit ecclesiam, ejusque caput Petrum constituit, cum suprema regendi potestate, etiam in successores Romanos pontifices derivata.*

„Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“ (Matth. 16, 18. 19.)

„Dicit Simoni Petro Jesus . . . Pasce agnos meos . . . Pasce oves meas.“ (Joann. 21, 15. 17.)

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA

Textus hos ante prolato sensu adhibent:

S. Cyprianus (l. de unitate eccles.)

S. Leo Magn. (in ep. ad epp. prov. Vienn. serm. 2. in nativ. Petri et Pauli, item serm. 2. et 3-o Assumtionis suae.)

Decretum synodale Gelasii pont. (a. 494.)

S. Gregorius Magn. (l. 5. ep. 20. ad Maur. Aug.)

Concil. Florentinum (demonstrante Provinc. Dominic.)

S. Bernardus (l. 2. de consider. c. 8.)

Catech. Rom. (P. 1. c. 10. qu. 11.)

5. *Cathedra Petri in fidei doctrina non errat, et scripturam authentice interpretatur.*

„Tu es Petrus“ etc. Matth. 16, 18.

„Ego rogavi pro te (Simone) ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos“ (Luc. 22, 32.) Sic commentantur:

Agatho pont. in ep synod. a concilio gener. VI. collaudata.

Hormisdas pont. in formula ab episcopis orient. in conc. gener. VIII. subscripta.

S. Bernardus (in ep. ad Innocent. 2.)

Pius IX. pont. (in lit. encycl. 9. Nov. 1846.)

6. *Ecclesia Christi una est, et haec sola salvifica.*
Matth. 16, 18.

„Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.“ (ad Ephes. 4, 4. 5.) Idem his textibus probant:

S. Cyprian (l. De unitat. eccles.)

S. Hieronymus (in ep. 15. t. 1. col. 38.)

Catechism. Rom. (P. 1. c. 10. qu. 10. 12.)

7. *Magisterium ecclesiae est divinae institutionis nosque ab errore praeservat.*

„Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores

et doctores, ... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus." (ad Ephes. 4, 11. 14. 15.) Eundem sensum docet:

Catechism. Rom. (P. 1. c. 7. qu. 9.)
Pius IX. (in lit. encycl. 9. Nov. 1846.)

8. *Est traditio dogmatica, divinae auctoritatis.*

„Docete omnes gentes .... docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis." (Matth. 28, 19. 20.)

„Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis." (1. ad Cor. 11, 2. coll. 23.)

„Itaque fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram" (2. ad Thessal. 2, 14.)

Eandem veritatem his textibus probant:
S. Joann. Chrysost. (in hom. 4. in II. ad Thessal.)
S. Epiphanius (haer. 65.)

9. *Doctrina Christi et apostolorum perfici nequit.*

„Licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit." (ad Gal. 1, 8.)

Tertullianus (in l. De praescript.)

10. *Fides nonnisi viva salvat.*

„In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per caritatem operatur." (ad Gal. 5, 6.)

„Vis scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est." (Jac. 2, 20.)

Concil. Trident. (sess. 6. cap. 7.)

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 203 von 294

11. *Baptismus per aquam naturalem conferendus, ad salutem necessarius est.*

„Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.“ (Joann. 3, 5.) Textum definit:

Concil. Trident. (Sess. 7. can. 2. et 5. de baptismo.)

12. *Confirmatio, divinae institutionis est Sacramentum.*

„Cum audissent apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum.... Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.“ (Act. apt 8, 14. 15. 17.) Locum declarant:

Eugenius IV. in decret. pro Armenis, 1439.
Catechism. Rom. P. 2. c. 3. qu. 6. 13.

13. *In eucharistia verum latet corpus Christi.*

„Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: accipite et comedite, hoc est corpus meum.“ (Matth. 26, 26.)

„Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.“ (1. ad Cor. 11, 28.) Interpretes:

Concil. Trident. (Sess. 13. De euchar. cap. 1. 7.)
Catechism. Rom. (P. 2. c. 4. qu. 27.)

14. *Sacramentum poenitentiae Christus instituit; includit autem specificam peccatorum confessionem.*

„Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.... Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.“ (Joann. 20, 21—23.)

Concil. Trident. (Sess. 6. cap. 14. Sess. 14. De poenit. cap. 1. et 5. item can. 3.)

Catechism. Rom. (P. 2. c. 5. qu. 39—41.)

15. *Extrema unctio est vere et proprie Sacramentum a Christo institutum.*

„Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.“ (Jac. 5, 14. 15.)

Concil. Trident. (Sess. 14. De extr. unct. cap. 1.)

Catechism. Rom. (P. 2. c. 6. qu. 3.)

16. *Ordo sacramentum est divinae institutionis.*

„Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.“ (2. ad Tim. 1, 6.) Textum sic adhibet:

Concil. Trident. (Sess. 23. cap. 3.)

Catechism. Rom. (P. 2. c 4. qu. 10.)

17. *Christus novae legis sacerdotium instituit ad immolandum suum corpus.*

„Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.“ (Luc. 22, 19.) Hic sensus exponitur a

Concil. Trident. (Sess. 22. can. 2.)

Catechism. Rom. (P. 2. c. 4. qu. 72.)

18. *Matrimonium validum et consummatum est indissolubile: e causa tamen fornicationis licita est separatio thori.*

„Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.“ (Matth. 19, 9.)

„Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur.“ (Luc. 16, 18.)

„Iis, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.“ (1. ad Cor. 7, 10. 11.) Datum sensum continent:

Capitul. 7. (D convers. conjugator.)
Eugenius IV. (in decr. pro Armenis 1439. §. 16.)
Concil. Trident. (Sess. 24. can. 7.)
Catechism. Rom. (P. 2. c. 7. qu. 20.)

19. *Tentamur a diabolo.*

„Non est nobis colluctatio adversus carnem et sangvinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.“ (ad Ephes. 6, 12.)

„Sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.“ (1. Petri 5, 8.) Confirmat sensum:

Concil. Trident. (Sess. 14. De extr. unct. cap. 1.)
Catechism. Rom. (P. 4. c. 15. qu. 4—6.)

20. *Custodimur a propriis angelis.*

„Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.“ (Matth. 18, 10.) De custodia angelorum locum sumit:

S. Basilius (l. 3. contr. Eunom.)
S. Joann. Chrysost. (hom. 59. in Matth.)
S. Hilarius (in Matth. 18. n. 5.)
S. Hieronymus (in hunc loc.)
Accedit sensus publicus ecclesiae.

21. *Gratiae divinae absoluta est necessitas.*

„Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.“ (Joann. 15, 4. 5.) Textum de gratiae necessitate sumit:

Concil. Arausican. 2-um, a Bonifacio 2. confirmatum can. 7.

S. Augustinus (tract. 81. in Joann. n. 3.)

Concil. Milevit. 2. ab Innocentio I. probat. c. 5.

22. *Christus judicabit mundum in consummatione saeculi.*

„Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo: tunc sedebit super sedem majestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hoedis, et statuet oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris. Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.... Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.“ (Matth. 25, 31—34. 41.) Commentator:

Catechism. Rom. (P. 1. c. 8. qu. 8.)

23. *Post hoc justi aeternum beati, reprobi autem aeternum infelices.*

„Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.“

Catechism. Rom. (P. 1. c. 8. qu. 9.)

24. *Purgatorium est, post mortem.*

„Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.“ (1. ad Cor. 3, 15.) Locum de purgatorio accipit:

Concilium Florentin.

25. *Maria, perpetua virgo.*

„Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.“ (Matth. 1, 18.)

„Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.“ (Matth. 1, 20.)

„Dixit Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco“? (Luc. 1, 34.) Textus hos de Mariae perpetua virginitate explicant:

S. Justinus (in Apol. 1.)
S. Ambrosius (in ep. 7. ad Siricium.)
S. Gregorius Nyssenus (in orat. in Natali Christi.)
S. Hieronymus (advers. Helvidium.)
S. Augustinus (De sancta virginit.)

26. *Maria sine labe originali concepta fuit.*

„Ingressus angelus ad eam dixit: ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.“ (Luc. 1, 28.) Sensum illum huic loco subesse docet:

Pius IX. in lit. apostol. 1854.

II. Veritates morales.

27. *Fides externe profitenda.*

„Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.“ (Matth. 5, 16.)

„Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.“ (Matth. 10, 32. 33.)

28. *Profectus in fide, precibus postulandus.*

„Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.... ut det vobis... virtute corroborari per

Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris.“ (ad Eph. 3, 14. 16. 17.)
„Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute.“ (2. ad Thessal. 1, 11.)

29. *Fidei et orationis immensa efficacia.*

„Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, tollere, et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis: omnia quaecunque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.“ (Marc. 11, 22—24.)

„Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.“ (Joann. 14, 12. 13.)

30. *Spes christiana vitae humanae fortissimum praesidium.*

„Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.“ (ad Hebr. 4, 15. 16.)

„Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum; ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam.“ (ad Hebr. 6, 17—19.)

31. *Amor Dei superat omnia.*

„Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an nuditas, an periculum? an persecutio, an gladius? ... Cer-

tus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.“ (ad Rom. 8, 35. 38. 39.)

32. *Caritas erga proximum, character christianorum.*

„In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.“ (Joann. 13, 35.

„Carissimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Siquis dixerit, quoniam diligit Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.“ (1. Joann. 4, 7. 20. 21.)

33. *Condonatio injuriarum, est conditio veniam a Deo impetrandi.*

„Cum stabitis ad orandum, dimittite siquid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in coelis est, dimittat vobis peccata vestra. Quodsi vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in coelis est, dimittet vobis peccata vestra.“ (Marc. 11, 25. 26.)

„Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.“ (Matth. 18, 34. 35.)

„Induite, sicut electi Dei... viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, siquis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.“ (ad Coloss. 3, 12. 13.)

34. *Superioribus ecclesiasticis, Christi vicem sustinentibus, parendum.*

„Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.“ (Luc. 10, 16.)

„Obedite praepositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, non gementes, hoc enim non expedit vobis.“ (ad Hebr. 13, 17.)

35. *Potestati quoque civili, utpote divinitus ordinatae, obedientia praestanda, et pro principibus orandum.*

„Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.“ (ad Rom. 13, 1. 2.)

„Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo.“ (1. ad Tim. 2, 1—4.)

36. *Deus humilibus dat gratiam.*

„Omnes invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gatiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.“ (1. Petri 5, 5. 6.)

37. *Grassantes lingvae abusus.*

„Siquis putat se religiosum esse, non refraenans lingvam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. — Lingvam nullus hominum domare potest, inquietum malum,

plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, et maledictio. Non oportet, fratres mei, haec ita fieri.“ (Jac. 1, 26. 3, 7—11.)

38. *Oportet semper veracem et sincerum esse.*

„Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra.“ (ad Ephes. 4, 25.)

„Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum.“ (ad Coloss. 3, 9. 10.)

39. *In scientia veritatum divinarum progrediendum.*

„Hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, ut probetis potiora.“ (ad Philipp. 1, 9. 10.)

„Attende lectioni, exhortationi, et doctrinae... Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus.“ (1. ad Tim. 4, 13. 15.)

40. *Ab anxia temporalium cura abstinendum.*

„Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.“ (Matth. 6, 31—33.)

„Omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.“ (1. Petri 5, 7.)

41. *Omnia ad gloriam Dei agenda.*

„Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.“ (ad Coloss. 3, 17.)

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA

42. *Eleemosynae largiendae officium.*

„Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.“ (Luc. 11, 41.)

„Si frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano... non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.“ (Jac. 2, 15—17.)

„Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingva, sed opere, et veritate.“ (1. Joann. 3, 17. 18.)

43. *Castitatis praecellens dignitas.*

„Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis. Siquis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.“ (1. ad Cor. 3, 16. 17. 6, 20.)

„Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocunque ierit.“ (Apocal. 14, 4,)

44. *Ad Deum et mortem constanter reflectendum.*

„Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.“ (ad Rom. 14, 7. 8.)

„Unum vos hoc non lateat carissimi, quia unus dies apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.“ (2. Petri 3, 8. 9.)

45. *Scandali ingens pravitas.*

„Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala, verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit.“ (Matth. 18, 6. 7.)

46. *Ob scandalum pusillorum etiam a licitis abstinendum.*

„Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.“ (ad Rom. 14, 15.)

„Videte, ne forte licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.“ (1. ad Cor. 8, 9. 13.)

47. *Admonitionis fraternae officium et meritum.*

„Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.“ (Matth. 18, 15.)

„Fratres mei, siquis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum: scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.“ (Jac. 5, 19. 20.)

48. *Pati pro Christo et justitia, magna gratia.*

„Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.“ (Matth. 5, 11. 12.)

„Siquid patimini propter justitiam, beati. Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriae

ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriae, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.“ (1. Petr. 3, 14. 4, 13. 14.)

49. *Verbum Dei libere praedicandum, non per adulationem, neque ad vanam gloriam.*

„Sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae: Deus testis est; nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.“ (1. ad Thessal. 2, 4—6.)

50. *Avaritiae vitium, nequissimum.*

„Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei.“ (ad Ephes. 5, 5.)

„Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem.“ (1. ad Tim. 6, 7—9.)

51. *Salus animae, unum necessarium.*

„Unum est necessarium. — Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.“ (Luc. 10, 42. 11, 28.)

„Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? (Matth. 16, 26.)

52. *Cura domesticorum habenda.*

„Siquis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior“ (1. Tim. 5, 8.)

53. *Corpus Christi pura conscientia, et in specie animo reconciliato sumendum.*

„Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum“ (Matth. 5, 23. 24.)

„Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini (1. ad Cor. 11, 28. 29.)

Appendix,

exhibens descriptionem trium codicum graecorum, 78. 86. et 100 quatuor evangelia continentium.

§. 55.

Scopus hujus descriptionis.

Libri Deo auctore exarati, et generi humano specialem salutis opem ferentes, absque dubio illo providente etiam conservantur in genere; quum non ad ephemerinum, sed ad perpetuum ecclesiae usum sint destinati. Quomodo autem divina providentia bibliorum fata moderetur: quomodo in parvis rebus magna, in fortuitis (quae talia videntur), selecta saepe recondat sapientiae suae documenta: illud qui observare noverit: mirandum, ni religiosior simul ac doctior evadat. Historia vero hanc ipsam ordinis divini circa sacros libros rationem contestatur. In ipsis cunabulis quasi fortuito nati, deinde omnibus temporum injuriis relicti, ad arbitrium hominum dilacerati, post longam saeculorum seriem stant nihilominus ut acies bene ordinata, cujus prima agmina (codices) pulvere quidem longi itineris conspersa, calcei ipsorum detriti, et superindumenta lacera sunt: at robur ad prosternendum quemlibet hostem adhuc invictum. Exercitus iste literarius varios continet pugiles, majores et minores, qui simul omnes communem veritatis causam sustinent, eique pro suo quisque modo testimonium perhibent, dum tamen benevole au-

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 217 von 294

diantur. Hoc veritatis testandae scopo producimus quaedam textus biblici vetusta monumenta, ut bibliophili ecclesiae alumni magis magisque persuasum teneant, veritatem revelatam, in his quoque formis prout in plurimis aliis, unam esse. Istius facti confirmatio, tum illorum, quae Introductionis nostrae §§. 27—31. item 43—50 tradita sunt, commentatio satis bonum erit operae pretium, quam colligendis hujusmodi micis patientissime impendimus. Cumque codices biblici per varias regiones dispersi, veluti omnium nationum junctam operam deposcant: sit haec quantulacunque symbola debiti instar depensa, quo pro possessione thesauri biblici, domi nostrae latentis, tenemur. Certe dignus est iste, cujus notitia ad plures rerum theologicarum cultores propagetur, et forte illi ex lectoribus nostris, qui nec librorum huc conducentium copiam, nec personalis inspectionis occasionem habent: specimen istud compendio sibi ducent. *)

---

*) Wer zu den bisher excerpirten Manuscripten den Zugang hat, es sey auf beständig, oder als ein Reisender, der könnte durch neue Vergleichung derselben sich die Kirche seiner Zeit und die Nachwelt verbindlich machen: und wenn es auch nur eine einzige wichtige alte Handschrift wäre, die er genau vergliche. - - - Es wäre sehr gut, wenn in dem neuen Auszuge alle Varianten verzeichnet würden, die nicht ausgenommen, die sich schon bey Millio und Wetstein finden: wenigstens diente dies zu mehrerer Gewissheit. Das nothwendigste und wesentlichste aber ist, die Lesearten auszuzeichnen, die sie entweder gar nicht, oder unrichtig excerpirt haben. Wenn solche Auszüge einzeln, oder auch von einigen Codicibus zusammen, gedruckt würden, so würden sie ein sehr wichtiges Geschenk für die Kritik, und der Stoff zu einer künftigen critischen Ausgabe des N. T. seyn. (J. D. Michaelis Einleitung in die göttl. Schriften des neuen Bundes 4-te Ausg. Göttingen 1788. 1. Th. S. 849.)

§. 56.

Codex 78, Musei Pestinensis.

Numerum 78-um ceu signum Criticae sacrae primus Wetstenius adtribuit codici evangeliorum, qui alias Carpzovianus, Lipsiensis, vel junctim Carpzovii Lipsiensis vocatur. In literatura biblica prima ejus vestigia reperi apud Ludolphum Kusterum, Novi Testamenti Milliani posteriorem editorem, qui ipse codicem velut novum testem, antea non auditum, producit in praefatione dicti operis Amstelodami 1710-o editi. Fuit autem codex tunc in possessione Joannis Gottlob (Benedicti) Carpzovii ministri protestantici Lipsiensis et paullo post ibidem lingvarum orientalium, studiique biblici vet. testam. professoris, tandem autem Superintendentis Lubecensis, ubi anno 1767-o aetatis 88-o relictis multis eruditionis biblicae monumentis e vita excessit. Hunc virum celebrat sequens inscriptio, in primo codicis folio chartaceo, quod ei recentius accessit, contenta: Ad Dn. Doct. Jo. GOTTLOB CARPZOVIUM, Sup. Lubec. vetusti codicis MS. Evangeliorum Graeci possessorem:

An tibi thesaurum, Praesul venerande, vel ipsi
Te possessorem gratuler, ambiguum.

Jac. a Melle.

Ab heredibus Carpzovianis anno 1804-o in auctione publica codicem pretio 140 aureorum emit Nicolaus Jankovich de Vadas nobilis hungarus, pro sua collectione antiquitatum, cujus notabilior pars, approbante articulo 37-o legum publicarum anni 1836-i 125 millibus floren c. m. pro museo nationali hungarico emta est, et cum illa etiam noster codex 1837-o in museum Pestinense transiit, cui usque hodie sub $\frac{2}{\text{Qu. Gr.}}$ inscriptus est. Porro laudatus Jankovichius in suis notis de hoc codice memorat, eum anno 1686-o a militibus ducis Saxoniae, qui

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 219 von 294

in revindicatione Budae e manibus Turcarum partem habebant, ex reliquiis celeberrimae bibliothecae Matthiae Corvini regis Hungariae acquisitum, in manus transivisse Samuelis Benedicti Carpzovii, qui tunc apud ducem Saxoniae officio concionatoris aulici fungebatur. Quae num ita evenerint, nec confirmandi nec negandi argumenta habeo. Illud constat, Sam. Ben. Carpzovium, patrem supra laudati J. G. Carpzovii ab a. 1647-o concionatorem aulicum fuisse Dresdae, qui igitur codicem tunc temporis acquirere potuit. E picturis et dispositione codicis ad patriam ejus, imperium graecum, satis certa est conclusio, unde capto per Turcas Byzantio, vel jam antea, cum plurimis aliis monumentis literariis, a dispersis graecis forte in Italiam translatus fuit, inde vero sub Matthia, librorum graecorum, latinorumque munificentissimo fautore, facile migraverit in Hungariam.

Constat 292 foliis membranaceis formae 4-ae eius magnitudinis, prout in adcluso Facsimili spatium lineis conclusum indicat. Paginarum numeri arabici, hoc anno primum inscripti, efficiunt (adnumerato folio primo chartaceo) 586. In inferiore ora ad dextram literis graecis jam olim signati fuere numeri quaternionum bis sumtorum, seu octo foliorum, qui ascendunt ad λς' 36-um completum, licet in praesenti statu codicis aliqui numeri plus contineant 8 foliis, alii minus; numerus vero 28-us non compareat. Membrana inter nimiam subtilitatem, et rudem crassitiem media est, at folia multa jam detrita, infecta, lacera, character vero in pluribus locis excolor. Quaelibet pagina exarata est lineis ope circini membranae impressis, tam horizontalibus, quam perpendicularibus. Textus intra viginti duas lineas continetur per totum librum, praeter paginas initiales et finales evangeliorum, quae paucioribus lineis constant. Extra spatium textus in margine tam superiori, quam inferiori in justa distantia ductae sunt binae et binae lineae parallelae, quae persaepe vacuae, alias

autem inscriptis titulis capitum, vel diebus et initiis lectionum ecclesiasticarum sunt refertae.

Singulis evangeliis praeponuntur imagines evangelistarum cum inscriptione nominum. Post evangelium autem Marci habetur praeterea folium, cujus utraque facies iconem exhibet; in anteriore legitur epigraphe: *ὁ ἐνταφιασμός* in aversa: *ἡ ἀνάστασις*. Omnes auro erant vestitae, at injuria temporum vel etiam hominum ipsas jam multum deformavit.

Initium cujusvis evangelii pariter pictura ornatur, elegantissime Matthaei, cujus deinde subsequentes duae paginae integrae auro sunt descriptae, textu formam crucis exhibente, quemadmodum etiam ultima libri pagina, seu finis evangelii Joannis eandem formam refert.

Literae sunt cursivae quibus totus liber scriptus est, praeter inscriptiones et primas literas evangeliorum, diligenter exornatas, et saepe marginales ad initium serierum positas, quae sunt unciales. At istae nulla lege scribuntur. Dantur paginae, quae nullam habent uncialem, aliae vero jam plures jam pauciores. Nec sunt semper primae vocum literae, sed in translatione syllabarum, etiam mediae, e. g. *ἐνέ-Παιξαν*, *παρα-Βολήν*, *φαρι-Σαῖοι* *προ-Σελθών* *ἀπεκρί-Θη*, *ἰω-Άννης* — passim vivaciori colore effictae, vel auro obductae. Initio evangelii Joannei etiam duae notae liturgicae literis uncialibus (cum accentibus) notantur. Nulla nomina propria scribuntur majusculis literis, nisi forte initio lineae. Translatio syllabarum vel literarum nullam regulam sequitur, e. g. *ἀ-πέμου̃*, *ὀν-κῆν*, *ἰ-ορδάνου*, *ὀν-καπεκάλυψε*, *ὀν-κ εἶχον*, *ἀλ-λ'* – nec dici potest, scribam intra cancellos linearum stricte se continuisse. Quodlibet evangelium scribitur serie continua, sine abruptis et a capite resumtis lineis, item sine majoribus intervallis in contextu. Voces ipsae habent quidem intervalla, sed persaepe neglecta, vel male adplicita unde jam

diversarum vocum syllabae, vel literae, praesertim post apostrophen, junguntur: e. g. *μεθ᾽ ἡ-Μέρας ὑπάντου* etc. jam ejusdem vocis partes etiam in media serie dissecantur, quasi distinctae essent voces; e. g. *ἀ δελφοί, ζη τοῦντες.*

Interpunctionis signum unicum est a prima manu in toto libro, scilicet punctum, quod nunc altius, mox inferius ponitur penes ultimam vocis literam, et distingvit non tantum completas sententias, sed etiam minora membra. Ubi nostri versus desinunt, vix unquam abest. At praeter illud codex integer scatet crucibus, praesertim in loco punctorum, et signis aliis, minio inter lineas adlitis, quas notas esse musicas ad lectorem in cantu et inflexionibus vocum dirigendum, discimus e Bernardi Montfauconii Palaeographia graeca, qui l. 3. pag. 260 exhibet specimen codicis evangeliorum similibus notis instructi; cum illis autem nostra signa conveniunt.

Abbreviationes quaedam, at non multae, constanter servantur e. g. *σηρ, ις, χς, πνα, ανος, πηρ, μηρ, δαθ υις, κς, θς, ιηλ, ουνος* etc. per omnes casus et numeros. Signum abbreviationis communiter est simile nostro accentui circumflexo, exceptis finalibus vocum literis, vel syllabis, quae saepe etiam per compendium supprimuntur, et omissio vario modo indicatur. Frequentior est contractio literarum. Spiritus et accentus figura parum differunt a nostris, et regulariter adhibentur, nisi quod initio vocum diphthongi non in secunda sed in prima litera sint signatae, et ubi hodierni libri accentum gravem habent, ibi aliquando retinetur acutus; *ι* subscriptum nunquam occurrit, nec pronomen reflexivum *αὑτοῦ*, sed semper *αὐτοῦ*, tam in hoc casu, quam reliquis; at demonstrativum *αὗται, οὗτος*, signatur spiritu aspero, prout etiam plenum *ἑαυτοῦ, ἑαυτόν* etc. Litera *ρ* si in medio vocis geminetur, modo signatur utraque, modo sola posterior.

De adtrita ligatura, seu compactura codicis, e qua plura folia jam resoluta sunt, nil dicam; quoniam hujus anni Auditores mei cum annutu Custodis Bibliothecae nationalis, D. Gabrielis Mátray, qui nobis insigni humanitate usum codicis concessit, istum eleganter et firmissime compingi decreverunt, sumtus requisitos sponte offerentes.

Haec de fatis et forma externa codicis; jam et argumentum inspiciamus. Liber noster titulo caret. Nam primi folii membranacei prior pagina vacua est, posteriorem autem icon s. Matthaei occupat. In altero folio infra picturam mox incipit *τὸ κατὰ Ματθαῖον ἐναγγέλιον* quod literis uncialibus exprimitur; deinde sequitur textus evangelii, integer. Postea icon s. Marci, et in aversa facie imago, quae tres effigies exhibebat, in medio Christum; uti superstes inscriptio (XC.) docet; in reliquo tam inscriptiones, quam imagines jam deletae sunt. Has excipit evangelium s. Marci, integrum. Interposito dein folio, ut supra memoratum, *ἐνταφιασμόν* et *ἀνάστασιν* exhibente, hactenus sequebatur recensio capitum s. Lucae, quae apud Matthaeum desideratur, sub inscriptione unciali: *τοῦ κατὰ Λουκᾶν ἐναγγελίου τὰ κεφάλαια,* cum imagine s. Lucae; postea folium, in quo exhibentur *τοῦ κατὰ Μάρκον ἐναγγελίου τὰ κεφάλαια.* Turbatus hic ordo verisimiliter ab errore bibliopegi venit, in nova autem ligatura evitabitur. Tum subnectitur evangelium s Lucae, sed jam mutilum. Unicum folium intercidit, quod habebat textum capitis 23-ii a voce *ἐμπαίξας* versus 11-i, usque versus 16-i vocem *ἐρχο μένου;* qui defectus quam sit antiquus, ignoratur. Kusterus, Wetstenius et Griesbachius illius mentionem non faciunt, sed nec ullam variantem ex illa pericopa adducunt. Denique ponuntur *τοῦ κατὰ Ἰωάννην ἐναγγελίου τὰ κεφάλαια,* imago s. Joannis, et ipsum evangelium, integrum. In postremi folii utraque facie leguntur quaedam semideletae adnotationes, quorum eruderatio non magni est mo-

menti. In una earum legi potest *γεωργίου — τοῦ — — ναυπλίου ἐστὶν ἡ παροῦσα βίβλος.* Voces in loco nostrarum lineolarum stantes sunt incertae. Altera postremae paginae inscripta continet duos versus absque omni citatione. Sunt autem primi versus Aristophanis in Pluto, scil.

ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ,
δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου. H. e.
Quam dura res est o Jupiter et dii!
Servum esse desipientis domini!

In marginibus variae cernuntur adnotationes, longe plurimae manu posteriori, et colore diverso inscriptae. In specie indicantur per literas numeri capitum tam majorum, quae *τίτλοι*, latine breves dicuntur, quam minorum, quae Ammoniana audiunt; praeterea adsunt numeri pericoparum ecclesiasticarum, notatis quoque tam diebus, quibus legendae erant, quam formulis lectionem exordiendi; verbo: est in codice synaxarium, non quidem separatim in conspectu totum exhibitum, sed per folia evangeliorum dispersum. Capitum majorum summaria seu tituli cum suis numeris ponuntur in margine jam superiori jam inferiori, in illis autem, quae supra indicavi locis, etiam synopses eorum exhibentur, seu breviaria, praeter Matthaeum. Canones Eusebianos non habet. Errat igitur Scholzius, illos codici tribuendo (in Proleg. N. T. t. 1. pag. LVI) nisi sub illis capitula Ammoniana intelligat. Variae istae sectiones ita se habent:

	Breves (*τίτλοι*)	Capitula (Ammon.)	Pericopae (*ἀναγνώσματα.*)
In Matthaeo numerantur	*ξη'* 68.	*τνζ'* 357.	*ρις'* 116.
In Marco „	*μη'* 48.	*σμα'* 241.	*οα'* 71*)
„ Luca „	*πγ'* 83.	*τμβ'* 342.	*ριδ'* 114.
„ Joanne „	*ιη'* 18.	*σλβ'* 232.	*ξζ'* 67.

*) Ultima quidem pericopa literis *οβ'* est numerata, sed cum immediate praecedat *ο'* desit autem *οα'* et secus nullum in-

Ceterum codex noster in quibusdam numeris differt ab aliis, et suo hoc synaxario indicat, se vel ecclesiae cujusdam usui liturgico serviisse, vel in talium privatorum manibus olim fuisse, qui lectiones ecclesiasticas nosse, legereque amabant.

Latinas adnotationes duas observavi, prima est Matth. c. 6–o ubi penes orationem dominicam uncinis marginalibus constrictam scriptae sunt duae hae voces bono charactere latino: „Pater noster.“ Altera autem legitur in loco parallelo, Luc. 11–o ubi sine alio signo stat: p. n. Correctores etiam iste liber habuit, qui forte ex formulis exordiorum pro lectionibus ecclesiasticis aliqua in textum, literis minusculis transtulerunt, aut sphalmata scribae se emendare putarunt. Universim tamen haud multa sunt mutata, et demtis notis synaxarii, reliquum libri argumentum, una eademque manus vel certe ejusdem sedula imitatrix magna cum diligentia exaravit, ita ut manifestos errores calami paucissimos observaverim, nisi forte transpositio vocum in quarum ordine multae sunt lectiones variantes, librario sit tribuenda, vel nisi ipse subtili peritoque modo suas aberrationes graphicas mox emendaverit. Quisquis ille fuerit, sit ei terra levis, et si laboris mercede perfruitur, meminerit nostri, qui post tot saecula sub climate longe diverso opus manuum ejus usurpamus.

Hactenus dicta ad codicem ab omnibus aliis distingvendum sufficiunt, quaecunque fata ipsum in posterum maneant. Dedimus ejus descriptionem e propria experientia; utut enim plures ante nos ejus brevem mentionem fecerint, nullus tamen criticorum eum vidit. Scilicet Kusterus ejus notitiam et lectiones variantes accepit a Boernero professore Lipsiensi, e Kustero autem hausit Wetstenius quidquid de hoc codice habet, qui rursum fons est Griesbachii

---

dicium occurrat alius pericopae ultra consvetas; literas o[illegible] errorem calami esse judico.

et Scholzii. Alii editores n. t. quantum scio, ad eum non reflectunt. Novam autem collationem fuisse ad id necessariam, ut codex rite nosceretur, vel inde conjicias, quod e lectionibus circiter 750, quas a textu recepto differentes habet, Kusterus et Wetstenius nec quartam partem (scil. solas 151) laudaverint, et quidem octies male. Griesbachius duntaxat 8 lectiones notavit, duasque falso; denique Scholzius 16 citat lectiones, in quibus ter erravit. His non obstantibus fieri posse concedo, ut novus revisor me quoque non omnia observasse detegat. Vix enim in tali labore absolutam assequaris inerrantiam. Nonnulla, ceu levissima, sponte neglexi, e. g. Marc. 6, 8. *παρήγγελλεν;* quod ipsa prima manus sic correxit, ut supra ε poneret *ει*, et alterum *λ* duobus punctis damnaret. Nec multum interest, an aliquod evanidum punctum, nonnulla subtilis correctio, vel notula marginalis producatur in arenam, nec ne, aut num ad 750 variantes lectiones accedant nullius momenti 8 vel 10, nec ne. Post priorum utique studia laboramus omnes; laborabunt et posteri, qui si imperfectiones nostras detegant, gaudeant se profecisse, sed meminerint se quoque praecursores esse, quos alii sequentur. Quare non opus est stipitibus duris, sudibusque praeustis ad antecessorum naevos castigandos, prout critici communiter faciunt, qui tanta acerbitate se invicem dilaniant, ut non socios laborum in campo literarum, sed feroces hostes manus conserere putes; quod si ob capitales causas fieret, sustinendum dicerem: verum fere ob lectionum variantium minus diligentem extractum et usum! Roberto Stephano Griesbachius „supinam et paene incredibilem negligentiam“ objicit. (Ed. 2. Proleg. pag. XVII.) Wetstenius traducit Bezam, veluti hominem vafrum, tot quot subdolorum mendaciorum reum, in quo praeterea ferendum non sit, quod posteaquam censorem aliorum egisset multo frequentissime in iisdem offendit, in quibus alios reprehenderat. (Proleg. 147. seq.) Hanc mensuram recepit

etiam Wetstenius ab aliis, nominatim ab Ernestio et. J. D. Michaelis, qui editionem ejus pervestigarunt, et partim negligentiam in excerpendis codicibus partim malam fidem notarunt. Revera etiam in brevissima descriptione codicis 78, quam e Kustero transumsit, bis a suo fonte male deflexit, 1-mo Georgium, cujus in subscriptione occurrit nomen, ut scriptorem tradendo, cum fuerit possessor; 2-o aetatis 600 annorum opinionem Boernero tribuendo, quae fuit ipsius Kusteri. Quid vero dicendum de Griesbachii et Matthaeii mutua cavillatione, qui se invicem per lutulentissimam sentinam raptare videntur? Nec Tischendorfius humanior est erga Collegas, sive dum Scholzium inscitiae, negligentiae, levitatis arguit; sive dum Eduardum de Muralto „de incredibili inscitia, socordia, perfidia“ laudat, nacturus forte vicissim hominem, qui ipsum etiam more criticorum emungat. Errare humanum est.

Qui usum nostrae Appendicis facere voluerit, ad sequentia velit reflectere: 1. Collatio facta est cum editione novi testamenti a. 1753-o Moguntiae ab Hermanno Goldhagen vulgata, qui in praefatione testatur se Complutense exemplar, quod prae manibus habuerit, emendatius subin in regiis Philippi II. Antwerpiensibus recusum, expressisse. Contuli etiam utrumque codicem (78. 100.) integrum cum textu Stephanico, quem ab omnibus excerpentibus pro regula sumi vult Michaelis. Cur vero hic ad calcem priori collationi cesserim locum: Auditores mei per se intelligent, illi autem, quibus omni lustro alia et alia textus biblici recensio offertur, divinare non debent. Erroribus typi quidem Goldhagen non caret, quos vitare conati sumus, at illi in prima Moguntina editione perpauci reperiuntur; sed in recentiore Leodiensi, anni 1839-i post iteratam relectionem in solis evangeliis reperi praecise septuaginta septem.

2. Lineola loco lectionis posita indicat consensum codicis cum textu Goldhageniano. Quia vero signum abbre-

viationis in codicibus nostris circumflexo accentui similem figuram habet, ad evitandam confusionem loco illius pariter lineolam horizontalem adhibui, vid. Matth. 2, 1. 3, 9. etc.

3. E textu edito tantum citatur, quantum ad perspiciendam codicis omissionem, additionem, mutationem vel hujus aliquam declarationem necessarium videbatur. Quod igitur in columna codicis ultra voces editionis legitur, in illo codex abundat, vide e. g. Matth. 8, 13. 23, 9. Quod non exponitur intra voces citatas, illud in cod. abest; quae denique ante et post citatas voces editionis reticentur, cum textu edito conveniunt.

4. Vix semel bisve adnotata est differentia spiritus in pronomine *αὐτοῦ* et hujus flexionibus; quia codices ambo constanter spiritum lenem in his casibus adhibent, quod itaque semel hic notasse sufficiat.

5. Locum spirituum et accentuum quoad initiales diphthongos retinuimus, prout in fontibus ponitur. In diphthongis mediis vel finalibus codices ipsi non tenent fixum locum.

6. Adclusum specimen scripturae quanquam in singulis apicibus non est exactum, characterem codicis tamen in textu biblico satis bene repraesentat, et acutioribus palaeologis valere potest instar subsidii ad aetatem codicis determinandam, de qua solus Kusterus hactenus dedit opinionem, pariter in specimine scripturae, quod a Boernero accepit, fundatam. Ille nempe anno 1710-o librum 600 annorum esse judicavit, quam sententiam transscribens Griesbachius, saeculo 12-o scriptum refert. Scripturam huic similem Montfauconius Palaeogr. graecae l. 4. p. 282. exhibet, notatque eam decimo et undecimo saeculo viguisse. Jankovich noster quidem saeculum 8-um inscripsit codici, sed justo major suae acquisitionis aestimatio videtur judicium ejus direxisse; nam codices b i b l i c i, qui cursivo charactere essent exarati, saeculo decimo antiquiores hactenus non noscuntur.

§. 57.

Codex 86, Lycei Posoniensis.

De hoc manuscripto graeco, quatuor evangelia continente, ideo tantum hic agimus, quia in patria nostra fixit sedem, ubi tamen paucioribus innotuit, quam meretur. Est quidem illius accurata descriptio jam typis vulgata; sed haec in raris versatur manibus. Nos ex hac sola codicem noscimus, e qua etiam hic extractum damus, propriae industriae non aliud tribuentes, nisi quod ex epistolari investigatione, in tradito libri domicilio instituta, eum adhuc ibi latere certo cognoverimus. Servatur scilicet Posonii in bibliotheca lycei augustanae confessionis.

Descriptionem illius dedit vir eruditionis fama domi forisque celeberrimus, St. Fr. Ladislaus Endlicher († 1849.) natus Posoniensis, ubi pater ejus artem medicam profitebatur. Rem Auditoribus meis gratam narrabo, si dixero virum tanti nominis ex ordine ipsorum fuisse, dum codicem Posoniensem insigni cum ἀκριβεία describeret et suum „Examen criticum“ luci publicae traderet. Juvenis 20 annorum, seminarii Wiennensis ad s. Stephanum alumnus, ferias autumnales anni 1823–ii et 1825–i in foco paterno studiis criticis ita impendit, ut adjutus opera consilioque Emerici Schwartner hungari Kaesmarkiensis fructum produceret consummato viro dignissimum. Nihil me moratur, quin descriptioni, qualis ista est, in parte historica plenam fidem praebeam, eamque in brevi compendio ad alios propagem, omissis, praeter alia, variantibus lectionibus, quae 43 folia in 8–o complent.

Codex, de quo agimus, Bengelio Byzantinus dictus, a Wetstenio autem et Griesbachio sub sigla 86 citatus, scriptus est in membrana crassiori, sed candida et oblonga in quarto. Constat, a capite ad calcem integer, temporumque injuria vix aliquantum vitiatus, foliis 262;

